3

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

LACTIS METASTASIBVS

QVAM

CONSENTIENTE

ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

NATHANAEL BERENDT

GEDANENSIS.

DIE VIII. MARTII MDCCLXXX.

GOTTINGAE

Litteris IOH. CHRISTIAN. DIETERICH

ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PROOEMIVM.

Cogitanti mihi ac diu haeſitanti qualem ad ſpecimen inaugurale elaborandum materiam eligerem, in mentem venit, de lactis metaſtaſibus diſſerere. Ad hoc igitur propoſitum perficiendum, ſcripta, quae hac de re extabant, v. c. PVZOS, LEVRET, ASTRVC, DELEVRYE, RAVLIN, LE MOINE, DAVID aliaque diligenter legi. Sub hoc vero negotio fere et ſine dubio a propoſito meo deterritus eſſem, ſi Diſſertatio illa de hac materia Tübingae praeſide celeberrimo C. F. IAEGER et reſpondente I. C. WILLIARDTS defenſa prius in manus meas veniſſet. Quam vero cum legiſſem, inſtituti mei rationem ab illa multis in modis diuerſam eſſe, facile cognoui. *Vir* quippe *celeberrimus* inprimis in perſcrutandis metaſtaſium cauſis et quibusdam de ſe- et excretione lactis momentis

physiologicis versatus est; diagnosin vero, prognosin et medendi methodum breuiter modo pertractauit, et ne vllius quidem contra vsitatam de lactis metastasibus theoriam prolati dubii mentionem fecit. Mens vero mea erat, illa momenta a *Celeb.* IAEGER breuiter pertractata fusius explicare, dubia contra hanc theoriam prolata recitare ac dilucidare et denique in medendi methodo inprimis optimam ac tutissimam curationem feminis ablactantibus adhibendam proferre. Quo modo haec a me sint exposita, Lectores beneuoli ac aequi iudicent et si inuenerint, materiam hanc pro dignitate sua et *Lectorum* voto me minus recte proposuisse, rogo, vt perpendant, ab artis medicae tyrone, qui insuper temporis breuitate premitur, nullum opus perfectum expectari posse.

DIS-

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

LACTIS METASTASIBVS.

§. I.

Definitio.

Antequam ad accuratiorem argumenti noſtri pertractationem progrediamur, neceſſarium eſſe reor, definitiones quasdam vocabuli *Metaſtaſis* perluſtrare. Nemo ignorat, iamiam vetuſtiſſimos medicinae ſcriptores non ſemper vnum eundemque ſignificatum huic vocabulo tribuiſſe. HIPPOCRATES *a*) enim Metaſtaſin ponit modo pro morbi cuiusdam ſucceſſione in alterum, modo pro morbi migratione reſpectu mutationis non ſolum partis cuiusdam corporis humani affectae, ſed etiam materiae morbi; interdum etiam ſub metaſtaſi morbi ſolutionem in vniuerſum intelligit. Ipſe etiam GALENVS *b*) duplicem verbo huic ſignificationem adſcripſit, dum affirmat, metaſtaſin nihil aliud eſſe, quam morbi transgreſſionem ex loco corporis humani affecto in alium, hanc vero transgreſſionem duplicem eſſe poſſe, nimirum ſi humor vel ad corporis colatoria deferatur, quod criſis vocaretur, vel ſi in parte quadam defigatur ſeu cum decubitu transferatur. SENNER-

a) In Foeſii oeconomia Hippocratis Frf. 1588. fol. vid. vocabulum μετάστασις.

b) Commentar. in lib. VI. Epidem. Hippocratis.

NERTVS per translationem, inquit, siue metastasin crisis fit, cum materia morbi non expellitur, sed in alium locum transfertur. BOERHAAVIVS metastasin appellat, cum materia vaga huc illuc feratur, varia excitet symptomata et perfectae criseos nulla adsint signa. BRENDELIVS *c*) nominat morbi cuiusdam translationem in alium per coctionis imperfectae modum. Sine dubio nemo expectabit, me hic in differentiam verborum: apostases, apostemata, aposcemata, aposcepses, crisis, metaschematismus, depositio et quae sunt reliqua accuratius inquisiturum esse, cum de his differentiis in aliis scriptis *d*) explicationes inueniri possint. Facile autem tum ex definitionibus istis, tum ex aliis adhuc momentis intelligitur, metastasin in morbis praecipue de humoribus corporis humani atque ex illis productis liquidis accipiendam esse. Fluida enim, vt in statu sano sic etiam in statu morboso vniuersum corporis humani ambitum penetrant atque peruadunt; et igitur ea, quae mobilia ipsis inhaerent secum rapi et per alia loca vehi possunt. Hoc in libello mihi sermo erit de lacte oberrante seu in alieno loco decubitum faciente; nam etiam de lacte idem valet, quod *Ill.* GAVBIVS *e*) de omnibus humani corporis liquoribus affirmat, dicens: habent suos sibi a natura constitutos canales, loculos, receptacula, caua, quibus tanquam cancellis contineantur, vehantur, nec egredi sine noxa possint. Iam vero vnusquisque facile perspiciet ac condonabit, me hic vocabulum, metastasis, sensu la-

c) In Diss. inaug. G. A. HENRICI De abscessibus per materiam et ad neruos. Goett. 1755.

d) v. c. in Diss. inaug. I. A. LOHR praes. P. G. SCHROEDER De febrilibus metastasibus. Gotting. 1769.

e) cf. Eius Institutiones Pathologiae medicinalis. Lips. 1771. p. 189. §. 397.

latiori sumsisse et omnia ea huc retulisse, quae apud Gallos veniunt sub nominibus: Depôts laiteux, Revolutions laiteuses, Epanchement laiteux, Lait répandu, Engorgement, Infiltration, etc. apud Germanos sub nominibus: Milchversetzung, Milchgeschwulst, Zurücktreten der Milch aus den Brüsten, Milchsammlung, etc. apud Anglos nominantur Translation of the Milk, apud Batauos Zogverplaatsing.

§. II.

De tempore, quo metastases lacteae contingunt.

In tres vero periodos tempus, quo mulieres his metastasibus lactis exponuntur, diuidi potest, quarum prior grauiditatis, altera puerperii, tertia autem ablactationis tempus in se continet.

Quod ad grauiditatem spectat, nemini ignotum est, maximas mammarum mutationes in grauidis circa finem mensis quinti contingere; nec mirum cuiquam videbitur, has et in iis notari feminis, quae molam gestant, cum in morbis variis v. c. fluxu menstruo suppresso, hydrope, scirrho vteri, etc. istae quoque mutationes obseruentur. Mammarum vero prima mutatio in eo consistit, vt earum cutis magis magisque fiat tensa et quarto iamiam grauiditatis mense indurescant. Tempore fluxus menstrui sueto venae magis coeruleum colorem induunt, qui in grauidis manifestior est. Mulieres porro in grauiditate vlterius progressa mane in eo indusii loco, qui mammarum papillis respondet, maculam quandam humidam inuenire solent; etiamsi mulieres reperiantur, in quibus citra grauiditatis suspicionem eiusmodi serum sine caseosa materia a mammis excretum obseruetur. Mense septimo serum hoc

hoc fenfim fenfimque magis oleofum ac cafeofum euadit, in initio denique menfis octaui folliculi febacei fefe implere incipiunt. Omnia haec femper eodem contingunt modo, exceptis primiparis, in quibus cuncta haec fymptomata paulo tardius fefe manifeftant. Abunde igitur ex his manifeftum eft, iamiam grauiditatis tempore inprimis menfibus vlterioribus lactis regurgitationem ex mammis non minus quam in puerperis fieri poffe. At non folum theoria haec omnia nos docet, fed etiam in praxi eiusmodi exempla non raro contingunt, quamuis forfan noftro etiam tempore ad hoc morborum genus in grauidis non fatis attendamus. Sic *Clar.* LENTIN in libro fuo nuperrime edito *f*) cafus cuiusdam mentionem fecit, vbi mola fub finem tertii menfis fuerat exclufa, nec tamen lac in mammis defecit et in alio quodam loco *g*) exemplum affert, vbi triduum poft abortum circa feptimi menfis confinia editum lactis abundantia in mammis aderat. Etiam mihi obferuatio quaedam nota eft, vbi in grauida circa menfis fecundi finem verum ac genuinum lac in mammis adfuit. Affirmat etiam *Cl.* LENTIN de his feminis, quae molam feu abortum in lucem ediderunt, iisdem quoque lactis metaftafibus effe expofitas, ac fi perfectum foetum peperiffent. PVZOS *h*) tres modo obferuationes intra plures quam triginta annos praxeos fuae in arte obftetricia notatas attulit, quarum prima menfe feptimo, altera verfus finem menfis quinti et poftrema circa quartum vel quin-

tum

f) Memorabilia circa aërem, vitae genus, fanitatem et morbos Claus-thalienfium. Goett. 1779. 4. p. 84.

g) l. c. pag. 92.

h) Traité des accouchemens par M. PVZOS, corrigé et publié par M. MARISOT DESLANDES. à Paris 1759. 4. p. 238. feq.

tum grauiditatis mensem lac retrogressum esse euincit. Binos adhuc praeterea casus nobis tradidit *i*), vbi sectione post mortem instituta in casu priori serum quoddam lacteum vna cum inflammatione vniuersali mesenterii ac totius intestinorum canalis; in casu vero posteriori lac quoddam coagulatum, quasi post acidi cuiusdam additionem, inuenit. Nec aliae desunt obseruationes, vbi in grauidis eiusmodi lactis metastasis ad oris ambitum facta et serum quoddam lacteum per os excretum est *k*), etiam vbi sub forma seri lactei lac versus cutem totius corporis propellebatur *l*). Facile nos demonstratione quadam prolixiori, ad probabilitatem lactis metastasium in grauidis demonstrandam, carere posse, credimus, cum eiusmodi lactis metastasin ipso in infante ob nimiam lactis assumtionem a. b. LVDWIGIO annotatam inuenimus *m*). Nutrix enim infanti ante octo menses nato et hoc tempore variolis sed modo benignis laboranti saepissime praebuit mammas, quo facto infans variolis iamiam superatis somno minus placido vtens interdum calore febrili laborabat. Denique tamen, etiamsi saepe purgantia leniora adhiberentur, sese in diuersis corporis sui locis formabant abscessus, e quibus sanies tenuis, purulenta, lacte concreto permixta effluebat. Hi abscessus phlogosi non erant tacti, nec vlcera ad sanationem spectabant, sed continuo lacteum humorem stillabant, quoniam nutrix adhuc infantem saepissime lacte aluit. Perinde non desunt obseruata, iuxta quae in grauidis insignis lactis abundantia annotata est *n*). Sic et ob-

i) l. c. p. 371, 72.
k) Act. Nat. Cur. ann. XI. Dec. IV. obseru. 99. PVZOS l. c. p. 344.
l) PVZOS l. c. pag. c.
m) Aduersaria medico practica Lipsiae, 1771. Vol. II., P. I, p. 183.
n) Act. Nat. Cur. Ann. II, Dec. IV, obs. 99. et ibid. Ann. 6. et 7. Dec. I, obs. 99.

obſeruationes exſtant, vbi mola et alia vteri concrementa cauſa fuerunt, vt lac in mammis ſecerneretur *o*), quod vero in dubium vocarunt quidam *p*). Neque hac de re quisquam dubitabit, qui modo exempla illa non infitianda in mentem reuocare velit, vbi natura praeter conſuetudinem iamiam in virginibus iſtam lactis ſecretionem excitauit et in hominibus aeque ac brutis maſculini generis verum et genuinum lac, ex quo caſeum parauere, ſecretum eſt *q*). Quae ſi vera ſunt, quidni natura ex cauſis infra exponendis etiam in grauidis, in quibus tamen iam ſecundum perpetuam naturae legem lac generari ſolet, ſicut in puerperis interdum praeſertim vlterioribus grauiditatis menſibus, nimiam lactis copiam producendo peccare poſſet? et cauſae, quae in grauidis metaſtaſin lacteam inferre poſſunt, ſine dubio plane eaedem ſunt, quae in puerperis eam inducere valent. Denique etiam opinio haec, in grauidis lactis metaſtaſes oboriri poſſe, auctoritatem aliorum virorum, in arte obſtetricia experientiſſimorum, v. c. LEVRET *r*), BIKKER *s*), etc. prae ſe fert. Cel. etiam SAUVAGES grauidae, ait, aeque ac puerperae, ſed modo rarius in morbos ex lacte vitiato, vel loco aberrante incidere poſſunt, e. g. in pleuritidem, metridem lacteam etc. In eo quidem omnes conſentiunt

o) SLEVOGT femin. mola labor. p. 4. SCHMID concrement. vter. c. 2. BIKKER Zoog. p. 78.

p) DIONIS Traité des accouchemens, pag. 184.

q) Exempla multa b. HALLERVS allegauit cf. Ei. Elementa phyſiologiae C. H. T. VII. Lib. XXVIII. Sect. I.

r) L'art des accouchemens etc. par M. A. LEVRET. à Paris. 1766. 8. p. 199, §. 1050. quo in loco ſimul affirmat, eiusmodi lactis decubitus rariſſime modo in prima grauiditate oriri, quam vero ſententiam *Celeb.* ASTRVC frangere voluit, cf. I. ASTRVC's Abhandlung von den Frauenzimmerkrankheiten, aus dem Franz. durch D. OTTO. Dresden, 1770. 8. Theil 5.

s) l. c. pag. 179.

tiunt scriptores, in grauidis rarius, quam in puerperis lactis metastases occurrere; experientia enim docet ex magnae obseruationum conscriptarum copiae comparatione inter se, plerasque post partum accidisse metastases. Iam vero isto tempore duae sunt distinguendae periodi paulo ante enarratae, puerperii quippe ipsius et ablactationis. Plurimis, qui hac de re tradiderunt, auctoribus prior periodus istis magis fauere, metastasibus visa est, cum contraria ex parte posteriorem ad has excitandas plus conferre crediderim. Lactis enim retropulsionem, vel etiam impeditam lactis secretionem seu eius influxum in mammas impeditum metastaseos causarum principem atque grauissimam puto, cum haec in omnibus fere obseruationibus, vbi metastases durante puerperio factae enarrantur, easdem produxerit. PVZOS in tractatu suo *t*) tempus, quo metastases inciderent, vsitatissimum diem decimum vel duodecimum post partum habet; interdum vero etiam tardius eas oriri posse affirmat. LEVRET nullum tempus absolutum pro omnibus lactearum metastasium generibus ponit, sed varium istud esse pro diuersitate morborum, qui ex lacte regurgitante oriantur, iudicat; Apoplexiam enim lacteam plerumque a secundo ad quintum vsque puerperii diem notari, lacteas eruptiones cutaneas post febrem lacteam demum apparere, tumores lacteos intra peluim et in extremitatibus inferioribus, praegressa febre lactea et mammis lacte plenis, plerumque vero die decimo quarto, lacte non amplius per mammas excurrente, hisque flaccescentibus, generari statuit; excepit tamen puerperas, in quibus lac mammas nondum intrauit. Serotinas deinde lactis metastases in suppurationem transientes Auctor nominatus in capite quodam singulari pertractauit.

t) pag. 345.

uit. Pari modo DELEURYE *u*) diuerſo tempori has metaſtaſes adſtrinxit; aſſeuerat enim intra priores octo poſt partum dies oriri, apoplexiam lacteam, purpuram rubram febris lacteae protractae ſequelam *x*) et albam, quam febrem lacteam per humores in maſſa ſanguinis retentos protractam *y*) cenſet. Diarrhoeam a lacte in ſanguine relicto, modo tunc eſſe criticam ſiue metaſtaſin affirmat, ſi praegreſſam febrem lacteam exciperet *z*), atque idem de metaſtaſibus lacteis in vterum *a*) vterique ligamenta lata aſſerit, quas nimirum poſt aliquot dies a partu euenire contendit *b*). RAVLIN *c*) eas quae abdominis viſcera ſpectarent, lactis metaſtaſes, circa diem decimum quintum poſt partum contingere, fidem facit. Similiter LE MOINE has metaſtaſes octauo, decimo, vel duodecimo a partu die plerumque oriri confirmat *d*). Ac b. VAN SWIETEN certum tempus non definiens, cum certa, inquit *e*), obſeruata doceant, faciliorem lactis a ſanguine ſeparationem in puerperis adeſſe, quae iam inceperat vltimo grauidatis tempore; et pariter conſtet, naturali lege lac a ſanguine ſeparatum in mammis colligi, patet, ſi lactis deriuatio in mammas impediatur vel collectum iam ibi, non educatur per papillas, mali quid metu- endum

u) Abhandlung über die Geburten nebſt der Behandlung der Krankheiten der Schwangern, Kindbetterinnen und kleinen Kinder a. d. Fr. von D. FLEMMING. Breslau. 1778. 8.

x) l. c. §. 1107.

y) l. c. §. 1111.

z) l. c. §. 1119.

a) l. c. §. 1126.

b) l. c. §. 1129.

c) RAVLIN Abhandlung der Krankheiten der Sechswöchnerinnen, a. d. Fr. von D. BVRDACH. Leipz. 1773. 8. pag. 304.

d) I. BVRTON Syſtême de l'art des accouchemens, traduit de l'Anglois par M. LE MOINE et enrichit de Notes. à Paris 1771. 8. T. I. pag. 499.

e) Commentar. in Boerhauii Aphorismos, T. VI. p. 610.

endum esse, vel in mammis ipsis, vel etiam in reliquo corpore, si ad aliena loca lac, a sanguine secretum, deponatur.

Ad tertiam me nunc periodum conuerto, in qua lactis metastases valde sunt solemnes. Huius vero temporis initium, non videtur mihi ab vltimo illo die, quem auctores supra allegati definiuerunt, ad decimum quintum vsque diem deriuandum esse, sed potius ex illo momento statuendum esse, quo lactis excretio vel eius influxus in mammas cessat. Plurimi etiam auctores, inprimis ASTRVC, RAVLIN, LE MOINE modo post integrum annum, modo post sex hebdomades in istis feminis, quae infantem non lacte suo nutriant, metastases oriri posse, concedunt. Manifestum est, lactis metastases in illis feminis, quae infantibus suis plane vbera non praebent, omnino prius, quam in istis, quae infantes ad tempus quidem lactant, postea vero hanc lactationem continuare nolunt, occurrere debere. Magna obseruationum a me hunc in finem collectarum parte inter se collata edoctus sum, primo, plurimas huius indolis metastases ex lactatione vel plane deficiente, vel modo interrupta ortas esse, deinde, ratione temporis certi quidquam constitui non posse, sed hoc in casu semper ad illam periodum, ex quo lactis per mammas excretio cessauerit, respiciendum esse. Namque non desunt exempla metastasium non solum post aliquot hebdomades et menses, sed post vnius etiam immo binorum annorum interuallum obseruatarum. Ac libenter quoque largior, in feminis ipsis adhuc lactantibus interdum lactis metastases fieri posse, etsi eiusmodi casus semper praeter naturam foret. Quae quidem omnia singulaque ex caussis metastasium in sequenti paragrapho adducendis magis euadent perspicua.

§. III.

Causae lactis metastasium.

Ad causas lactis metastasium proximas merito sequentes quatuor referendas esse censeo. Hae vero sunt: *prima*, lactis ex mammis retropulsio, seu excretio per mammas nulla; *altera*, influxus lactis in mammas impeditus; *tertia*, secessio lactis a sanguine impedita; denique *vltima*, lactis ex mammis in sanguinem regurgitatio. De quibus omnibus nunc prolixius agendum erit, quod vniuscuiusque causas tam praedisponentes quam occasionales considerandi, officium meum esse iudico.

Quod igitur ad primam causam proximam attinet, praecipue hic malae illius consuetudinis, vbi matres pusionibus suis vbera non praebent, mentionem facere debemus. Nemo vero sibi persuadeat, me fusius hoc loco expositurum esse, quod matres, infantes ab vberibus suis arcentes, iustas naturae leges violent; aut damna allaturum esse, quae in infantes, quos lacte suo matres non nutriunt, redundant; haec enim a materia hic pertractanda longius me abstraherent et multis iamiam in scriptis prolixe satis tradita sunt, sed declarare modo in animo est, quantum detrimenti ex neglecta lactatione matres ipsae capiant *f*). Quis enim non intelligit, lac tunc in mammis stagnare debere, vnde vel concrescet, vel aliam morbosam contrahet indolem. Posterius iam ex analogia cum aliis corporis hu-

f) LEVRET l. c. pag. 199. §. 1048. inquit: "on observe en general qu'il meurt, proportion gardée, beaucoup plus de femmes en Couche dans les Villes, que dans les Campagnes" et in §. sequenti his verbis causam annuntiat: "ces effets differens dependent essentiellement de ce que les femmes n'allaitent point.

humani liquoribus elucefcit, in lacte vero adhuc facilius hoc phaenomen accidit, etiamfi humor corporis noftri blandus fit, fi ne Coloftrum quidem ex mammis fit emiffum, qua fub conditione lac facillime etiam concrefcet. Magna vtique damna matribus inde imminent, vel fi lac corruptum, vel etiam tenuior lactis pars modo reforbeatur; fanguinem enim inficit, et pofteriori in cafu lac coagulatum ac in mammarum cellulis relictum varios format tumores, indurationes et denique vlcera. Quis ignorat, nec fimul vituperat illam medicamentorum farraginem, quae modo forma Emplaftrorum, modo Fomentationum fpirituofarum externe applicantur et quorum ope lac ex mammis retropellere annituntur. Illa enim poros cutaneos obftruendo, tumoribus mammarum eryfipelaceis aptam praebent occafionem, et externa medicamentorum fpirituoforum applicatio fine dubio eodem in gradu eft noxia; quantopere enim haec medicamenta lactis coagulationem adiuuent, inde perfpicitur, cum PVZOS fomentationum ex lacte paratarum et tumoribus ex lactis metaftafi ortis imponendarum vfum interdicat, quoniam lac facile acefcit et hoc modo coagula in tumoribus iftis producit. Nonne vero fere idem effectus ab applicatione medicamentorum alcalinorum, quae tamen multi commendarunt metuendi funt, cum experimentis immortalis BOERHAVII g) edocti fimus, etiam acrimoniam alcalinam lac in grumos flauo colore tinctos cogere? Iam *Cl.* IAEGER h) experimentum hoc attentione dignum cenfuit. Enimuero infra annitar, optimam medendi methodum non folum therapeuticam, fed etiam praeferuatiuam tradere. Aliae adhuc reftant caufae retropulfioni lactis inferuientes et quidem aër frigidus et animi pathe-

g) Elementa chemiae. T. II. pag. 302. feq.
h) cf. Diff. in prooemio noftro iam allegata, pag. 20.

pathemata. Aër frigidus eo certius lactis retropulsionem efficiet, si subito ad mammas admittatur, quoniam vasa constringit et hoc modo forsan multa medicamenta lactifuga specifica, v. c. lapis ille lacteus, virtutem suam exserunt. Non solum vero hic frigoris ad mammas accessus, sed refrigerium totius corporis inprimis aestuantis noxium est, quod etiam multae probant obseruationes *i*). Sic etiam plura afferre possem exempla, vbi post animi pathemata vehementiora et prae reliquis post terrorem subito lac in mammis euanuit *k*). In vniuersum hic monendum erit, me non semper obseruationes expressis verbis citasse, quoniam nonnullae satis superque sunt notae ac etiam in praxi quotidie occurrunt. Vitia etiam quaedam mammarum excretioni lactis impedimento esse possunt. Plurima huius generis vitia sine dubio sunt acquisita et quidem saepe noxia illa fasciarum, praecipue vero thoracum, quorum vsus a tenera aetate in seros annos continuatur, constrictione. Vnusquisque facile concedet, his virginum ac mulierum cataphractis potissimum ac plurimum partes externas compressione laedi. Comprimuntur enim mammae vna cum vasis lactiferis earumque papillae introrsum premuntur. At non solum eiusmodi violenta compressio mammas ad dispositionem metastaticam procliues reddere valet, sed multae aliae quoque caussae hoc in organo lactis secretorio latent. Sic b. v. SWIETEN *l*) narrat, se in feminis quandoque mammas maximae indolis, sed mera pinguedine obrutas, ita, vt omnes ductus lactei compressi

i) v. c. eiusmodi obseruatio exstat in Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par M. ROUX T. XXXI. pag. 315. etiam in libro Celeb. SCHMVCKERI inscripto: Vermischte chirurgische Schriften. Berlin S. 1779. B. II.

k) Harlemer Verhandelingen. Deel 3.

l) Comment. T. IV. pag. 146. in fine §phi 1339.

preſſi ab adipe incumbente ne guttulam quidem lactis admittere potuiſſent, vidiſſe. Mammae etiam marcidae, vel nimis flaccidae, nimis inertes eſſe videntur ad lac per ductus lactiferos promouendum, vt Cel. IAEGER m) annotauit. Multa porro mammarum vitia topica lactis excretionem plane prohibere poſſunt, v. c. tumores n), vlcera et cicatrices ex operationibus antecedentibus o), aliaque plura. Reſtant adhuc vitia ductuum lactiferorum eorumque inprimis oſtiorum ac denique papillarum vitia. Primo illorum ductuum numerus ſaepe variat, ideoque interdum nimis paruus eſſe poteſt, deinde cataphractarum compreſſione coaleſcere quandoque valent, quin etiam eorum oſtia variis ex cauſis obſtructa et coalita eſſe poſſunt e. g. ex nimia papillae retractione vel exulceratione. Inter omnia papillarum vitia inprimis ille cataphractarum effectus, nimia nempe papillarum retractio et in ſubſtantia mammae deliteſcentia plerumque eminet. Ex hac enim cauſa, dum lac continuo ad mammas deriuatur, non ſolum morbus ille a Celeb. SAUVAGES maſtodynia pilaris p) denominatus et inter Gallos ſub nomine *le Poïl* notus q), qui nihil

m) Requiritur enim, inquit l. c. p. 17. in vaſis lactiferis irritabilitas quaedam, qua ſeſe contrahendo lac propellunt; hinc in bonis nutricibus cum vi quadam lac proſilire videmus. A marcidis mammis haec irritabilitas abeſſe et eo ipſo in iis lactis ſtagnatio effici videtur.

n) *Ill.* E. G. BALDINGERI, Praeceptoris mei nunquam ſatis venerandi, Pr. ſiſtens obſeruationes de morbis ex metaſtaſi lactis in puerperis. Ienae 1772.

o) vid. *Cl.* M. E. BLOCH medicinische Bemerkungen. Berlin. 1774. 8. p. 185.

p) Noſolog. method. T. II. p. 223. T. III. p. 203.

q) LE MOINE l. c. p. 501 - 503. LEVRET p. 181. §. 955. inquit: au engorgemens des mammelles le vulgaire a donne le nom de

Poil

nihil aliud eſt, quam durities mammarum cum leui quadam inflammatione plerumque in ſuppurationem tranſiente, niſi V. S^es, diaeta ac quorundam medicamentorum topicorum applicatio reſolutionem ſuam efficere potuerint; ſed etiam ille ſtatus terribilis ac praecipue quidem in primiparis generatur, vbi infans papillam rite apprehendere non poteſt, et eam igitur inter maxillas ſuas fricat, contundit et fiſſuras in ipſa efficit. Vnicuique ſatis notum eſt, hunc morbum valde grauem eſſe, non ſolum ob immenſos dolores, ſed etiam ob difficilem curationem. Papillae vero etiam aliis ex cauſis facillime ſeſe exulcerare et hoc modo ductuum lactiferorum coalitum efficere poſſunt. Papillarum perinde nimia ſenſibilitas, quae infantis ſuctionem ferre nequit, interdum lactis metaſtaſes conciliare valet.

Altera lactis metaſtaſeos cauſa proxima ſupra allegata impeditus erat lactis in mammas influxus. Hanc cauſam tum multa mammarum vitia, tum lactis conſiſtentia ac indoles inferunt, lac enim ſecerni ſuppono. Mammarum vero vitia quod attinet, ſequentia ſunt notanda: ante omnia plenarius mammarum defectus nimiaque earum rigiditas; in vtroque enim caſu non ſolum recentiores, ſed etiam iamiam HIPPOCRATES lactis metaſtaſin oriri affirmarunt. Hic enim medicorum princeps in libri ſui inſcripti *de Glandulis*, capite ſexto r): mulieres, inquit, quibus per morbum aut aliam quandam calamitatem mamma aufertur, et vox grauis efficitur

Poil; parcequ' il prétend, ſuivant une tradition auſſi ancienne, qu'elle eſt ridicule, que ce ſont des veritables poils, qui bouchent les Tugaux lactiferes et s' oppoſent au dégorgement des glands du ſein

r) ALB. ab HALLERI artis medicae principes, T. II, p. 49.

citur humoresque ad gulam deferuntur, multa ſputatione vexantur, caput dolet et ex iis aegrotant. Lac enim ab vtero veniens ac influens, quemadmodum etiam antea ad ſuperiora vaſa transmittebatur, quum ex propria non habeat, in principes corporis partes incidit, cor videlicet ac pulmonem et ſuffocantur. Alio quodam loco ait: "ſunt, quae natura lac non habent et quibus lac ante tempus deficit; eae vero natura ſolidae ſunt et denſae carnis; ideoque cum via denſa ſit non a ventre ad mammas ſatis humoris defertur". Multa inſuper alia mammarum vitia huc pertinent, quae partim antea iam adduxi, partim lector facili negotio inueniet; nunc igitur me ad lactis conſiſtentiam iuſto maiorem, quae eius influxum in mammas prohibere poteſt, conuerto. Quis non facillime videt, hunc effectum a nimia eius ſpiſſitudine eſſe metuendum. Lac enim a prima ſecretione ſenſim ſenſimque fit ſpiſſius et quidem non ſolum durante grauiditate, ſed etiam durante puerperio et lactatione, quoniam infanti in dies ſingulos maiori ac validiori nutrimento opus eſt. Lac nimiam ſpiſſitudinem eo facilius contrahet, ſi mulier iuſtam ratione quietis et motus proportionem non obſeruauit, vtriusque enim exceſſus ſpiſſitudini lactis ideoque eius metaſtaſi fauet. Diaeta etiam nimis lauta, tum ratione quantitatis ciborum aſſumtorum, tum ratione eorum qualitatis, cum nimiam ſucci nutritii copiam in ſe contineant, lactis inducit ſpiſſitudinem. Lues venera pariter lac ſpiſſius reddit, quoniam venenum venereum humores lymphaticos denſat. Lac igitur nimia laborans ſpiſſitudine difficulter in ductus mammarum lactiferos intrabit et ſi etiam his dilatatis ad eorum oſtia vsque peruenerit, haec ſine dubio obſtruet. Lac interdum quoque a mammis vocatur, quando aliae corporis noſtri excre-

tiones augentur, vel ſi lac ipſum per alias vias v. c. per alvum, vrinam, etc. excernitur. Prius vnusquisque iuxta vetuſtiſſimam illam phyſiologiae regulam, quodſi vna ſecretio augetur altera imminuitur, libenter concedet. Poſterius vero iamiam multis obſeruationibus extra dubitationem poſitum eſt. Sic enim multa diarrhoeae lacteae in puerperis notatae exempla extant, et alibi occurrunt, vbi lac vna cum vrina effluxit, vbi lac per ſudores eliminatum eſt et vbi ſimul cum lochiis ſeceſſit, de quibus omnibus obſeruationes infra ſunt allegandae. Principem etiam inter cauſas, quae lactis in mammas influxum praepediunt, tenere locum, cenſeo debilitatem, non quidem iſtam totius corporis, ſed partis modo cuiusdam, qualiscunque ſit in puerpera, vti et irritamentum in parte quadam remotiori. At non particularis modo debilitas, ſed quae vniuerſum magis corpus exercet, lactis interdum metaſtaſes adfert; omnino enim valde veroſimile eſt, mulierem partu difficili ſuperato adeo debilitari poſſe, vt vires deſint, ad lac ſufficiente cum impulſu ad mammas mittendum. Ad metaſtaſes vero ciendas debilitas illa particularis plus conferre mihi videtur, ſaepe enim et plerumque metaſtaſes partem corporis debiliorem inuadunt. Quare etiam a regula per tot tantaque exempla in aliis morbis confirmata, metaſtaſes morborum plerumque ad partem debiliorem fieri ſeu quod idem eſt, naturam plerumque materiam morboſam ad partem corporis debiliorem transferre, hic recedere vellemus. Cel. quoque LENTIN *s*) huic fauet opinioni. Quodſi praeterea hac in parte debiliori irritamentum quoddam naſcitur, eo certius natura lac hoc in loco deponet. Eiusmodi caſus in ROEDERERI ſcriptis *t*) legimus, vbi affirmat, ſe feminas vel phthiſica diſpo-

ſitione,

s) l. c. p. 59.

t) Ei. Opuſcula medica. Gott. 1763. 4. pag. 41.

ſitione, vel vera iamiam phthiſi laborantes vidiſſe, quae tamen infantes craſſos, toroſos, magnosque edidiſſent; concludit igitur, in phthiſica diſpoſitione et lue non penuriam quandam nutrientis humoris, ſed loci potius errorem culpandum eſſe; "videas enim, inquit, phthiſicum bene et paſtum et cibos digerentem chyloque affluentem, qui tamen nutrimenti beneficiis priuatur, diſſipata gelatina per excernentia organa vel in vlceroſum nidum collecta". Hoc loco illae etiam obſeruationes, cuiusmodi apud Cl. VAN DEN BOSCH *u*) reperiuntur, ſilentio non ſunt praetereundae, vbi ob vermium praeſentiam lactis ſecretio imminuebatur et e quibus ſatis conſtat, lochiorum et lactis neceſſariam excretionem tantis pathematibus, quanta ab animata potentia excitari poſſunt, vexari, et lactis diminutionem etiam ſaepe a vermibus fieri. Duo ex obſeruationibus conſtituit theoremata practica Cl. VAN DEN BOSCH. I. Verminoſa vitia, ob aluinas contentiones, facillimas ad caput metaſtaticas depoſitiones, atque alia peſſima ſymptomata in puerperis ad lactis ſecretionem et vterinas euacuationes impediendas et alui fluorem inducendum valde metuenda eſſe. II. Lactis in ſanguinem repulſiones nullibi fere crebriores, quam in puerperis mucoſo-verminoſa febre prehenſis contingere. Vermes vario modo in puerperis reſpectu lactis nocere mihi videntur: primo enim eius ſecretionem impediunt ac minuunt, quoniam ad ſe ipſos nutriendos chylum ex cibis in inteſtinis paratum partim conſumunt, partim corrumpunt; deinde etiam per ſempiternos motus in inteſtinis continuum efficiunt irritamentum, quo facto non ſolum vaſa chyli reſorbentia ſeſe contrahunt ac claudunt, ſed etiam maiorem humorum ac ſan-

u) Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae. Lugd. Batau. 1769. 8. pag. 210-220.

guinis affluxum versus hanc partem irritatam producunt. Sic etiam sordes primarum viarum interdum causa lactis metastasium esse possunt; in b. LVDWIGII *Aduersariis medico practicis w)* legimus: puerperas, in quibus vitia diaetae cacochymiam alunt, a morbis futuris non liberauimus, sed decubitus lactis, nouus morbus, non a solo lacte represso, sed ab aliis variis causis oriundus et multiplici modo medentibus se offerens, haud exiguam difficultatem obiecit. A Cel. TISSOTO item hanc opinionem lac irritatione etiam leuissima in hanc vel illam partem deriuari posse, confirmatam video *x*), quippe qui eam adeo veram et expeditam habet, vt, quas format, indicationes ad curam spectantes huic accomodet.

Venio nunc ad tertiam illam lactis metastaseos causam proximam, quam in lactis a sanguine secessu impedito posui. Vario autem modo hoc efficitur, prae reliquis tamen plurimum febres ad hoc conferre crediderim. Huc nimirum omnes refero febres, quibus puerperae corripi possunt et nil refert, vtrum eiusmodi febres inflammatoriae, putridae, biliosae, an neruosae sint indolis; vnaquaeque enim ex his hunc effectum producere valebit. In omni enim febre motum et circulationem sanguinis iusto celeriorem et in omnibus corporis nostri functionibus siccitatem notamus. Negare vero nolim, forsan vnum vel alterum harum febrium genus maiorem vim in lactis secretionem exserere posse, ac fortassis quodlibet febrium genus alio ipsi proprio modo illam impedit secretionem; quae vero omnia pluribus verbis pertractandi aeque ac in varias febrium puerperarum causas inquirendi, tempus et locus vetat. Omnes etiam

w) Vol. I. P. I.

x) Von den Krankheiten vornehmer Standespersonen, §. 125.

iam innumerae obſeruationes iamiam abunde probant et quaſi ad oculos demonſtrant, ſemper lactis ſecretionem ceſſaſſe, ſimul ac ſymptomata febris cuiusdam natae apparuerint. Peculiarem vero febrium puerperarum cauſam ſilentio praeterire nequeo, praeſertim cum praeiudiciis quibusdam in regionibus noſtris etiamnunc alatur. Facillime lectores diuinabunt, me hic loqui de excretionibus puerperarum retentis, quae tamen ſatis notum eſt, febrem, inflammationes, ſpasmos aliaque ſymptomata neruoſa excitare, ſanguinem omnesque corporis humores et ſic etiam lac corrumpere et vitiare poſſe. At excretiones etiam nimis auctae metaſtaſi lacteae fauent, non ſolum, quia forſan mulieres debilitant, indeque impediunt, quo minus lac rite elaborari et ad mammas deferri poſſit, ſed etiam quia humores in alium quendam locum deriuantur, ibique excernuntur. Plures adhuc cauſae occaſionales hoc modo in lactis ſecretionem agunt, quarum agendi modum prolixius exponere non opus eſſe videtur. Quis enim neſcit, generationi lactis varias aëris conſtitutiones, ingeſta cruda, incongrua, eorumque nimiam aſſumtam copiam, motum nimium, vigilias nimias, animi pathemata, imprimis triſtia v. c. moerorem et curam ſeſe opponere eamque impedire, de quibus omnibus ac ſingulis magnus obſeruationum numerus exſtat. Ex retento vero in maſſa ſanguinea lacte, nec rite ad mammas delato, febrem lacteam malignam, periculis plenam ſaepe lethiferam, metaſtaſes lacteas inflammatorias in abdominis aeque ac pectoris viſceribus excitantem oriri affirmat LE ROI *y*).

Ad vltimam denique lactis metaſtaſeos cauſam proximam peruenimus, quae in eo poſita eſt, vt lac plane iamiam ſecretum

y) Melanges de Phyſique et Medicine pag. 200.

tum ex mammis retrogrediatur et in massam sanguineam regurgitet. Hic sine dubio quidam quaestiones nonnullas proponent, quo modo lactis ex mammis in sanguinem regurgitatio sit possibilis, et quo modo, si fiat, nocere possit, cum lac ex chylo paretur eique simillimum ideoque e succis corporis nostri blandissimus sit. Quod ad regurgitationis possibilitatem attinet, infra fusius de ipsa differemus; ad alteram vero quaestionem nunc respondebimus. Multos auctores in eo errare videmus, vt lac iamiam secretum ac in mammas delatum, in his ad tempus stagnans et iterum resorptum semper adhuc succum chylo simillimum et hanc ob causam prorsus innoxium habeant, vt ne minimas quidem in sanguine turbas excitare valeat. Ad hanc igitur opinionem rite refutandam, necessarium est, rationibus ac documentis idoneis probare, lac regurgitans chylo non esse simile sed vitio quodam laborare. Chylum enim esse succum innoxium nec non blandissimum, negare animus non est, sed de lacte regurgitante contrarium statuo. Fere vnusquisque, qui in chylum et lac accuratius inquisiuit, eo animum appulit, vt vtriusque succi similitudines detegeret; nemo vero, quantum scio, hucusque eo consilio, vt diuersam vtriusque naturam patefaceret, hos corporis humani humores perscrutatus est, quem in finem multa tam iucunda quam vtilia experimenta institui possent, quae vero instituere temporis praesentis angustia prohibet. Maiorem adipis copiam in se continet lac, quam chylus; in mammis enim ante eius effluxum aliquid adipis ei admiscetur. Maior etiam lymphae copia lacti admiscetur quam chylo. Notum est, lac facillime variis vitiis, modo nimia tenuitate, modo nimia spissitudine laborare posse, modo nimis salsum vel acre, modo nimis acidum, modo nimis biliosum et amarum esse. Omnia haec vitia plerumque originem suam

ex

ex vitiis in rebus ſic dictis non naturalibus commiſſis trahunt; ſic e. c. nouimus, acidum in lacte generari, ſi femina grauida vel puerpera nimiam ciborum copiam aſſumat et quod ſaepiſſime fit, debilitate ventriculi laboret; chylus enim hoc in caſu magis aceſcit; quandam enim ad acidum procliuitatem ſemper alit. Ad hoc vitiorum genus aeque ac alia lac priori grauiditatis tempore inprimis inclinat, quod forſan a ſingulari ciborum appetitu dependet, in quem grauidae hoc tempore feruntur. Scimus porro, quales effectus coloſtrum in puſiones exſerat, qui ſane ſigna acrimoniae ſucci huius exhibent. Si igitur ne hoc coloſtrum quidem ex mammis effluat, nonne tunc huius acris ſucci ſtagnatio in mammis cauſa erit ſufficiens, vt lactis, ſi etiam bonae indolis ſit, quod in mammas influit, qualitas vitietur. Cl. etiam LENTIN z) huius rei mentionem facit et lactis regurgitationem multo adhuc periculoſiorem ac pernicioſiorem putat, ſi coloſtrum ſimul regrediatur. Veroſimile etiam eſt, coloſtri acrimoniam a ſolis diaetae vitiis non dependere, ſed forſan natura hoc modo ſecerni, cum omnibus in puerperis vnius eiusdemque ſit indolis. Reſtat adhuc demonſtrare, lac bonae indolis in mammas rite delatum, in his corrumpi ac vitioſam qualitatem induere poſſe, quamuis etiam coloſtrum ſit eductum; inter omnes vero vitioſas qualitates acrimonia maximam poſtulat attentionem. Hanc multiplicem eſſe, res eſt, quam omnes concedunt. Primo omnes cauſae, quae lac nimis tenue reddere poſſunt, huc referendae ſunt, quia plerumque cum lactis tenuitate acrimoniam quandam coniunctam eſſe, experientia quotidie nos docet. Sic igitur variae aeris conſtitutiones, ea, qua in corpus humanum agunt, potentia

z) l. c. p. 94. 100.

tentia lac aeque ac alios corporis noſtri humores corrumpere poſſunt. Porro etiam ingeſta, motus et quietis exceſſus, vigiliae nimiae, excretiones tam auctae quam ſuppreſſae, animi pathemata et denique externe applicata lac multifario modo afficere valent. Singula fere ex his iamiam ſola hunc excitare poteſt effectum. Nonne ſatis conſtat, omnia, quae alios humores mutare poſſunt, vim iſtam etiam in lac exſerere poſſe ac debere? Nonne ſufficienter notum eſt, externam illam medicamentorum topicam in mammis applicationem vario modo lac in mammis vitiare poſſe? Quis non videt, lac animi pathematibus quam maxime corrumpi, cum infantes inde tantopere affligantur. Si vero etiam nullae ex his cauſae adſint, tamen lac in maſſam ſanguineam reſorptum quasdam affert noxas. Cum enim non ignoremus, chylum ſemper aliquid acidi in ſe continere, nonne etiam concludere poſſumus, hoc etiam in lacte adeſſe? Porro cum lacti alia adhuc et adeps et lympha admixta ſint, nonne igitur lac reſorptum ſeſe difficilius, quam chylus, cum ſanguine miſcebit et ſe huic aſſimilabit? Maxime itaque illa opinio, quam Cel. TISSOT protulit, mihi arridet, lac, quando reſorptum ſit, in ſanguinem tanquam corpus alienum, quod facultatem ſeſe ſanguini rite aſſimilandi non poſſideat, operari, ſed irritare, hoc modo febrem excitare et inſtar iniectionis acidae in ſanguinem exſerere effectus, vsque dum natura ſanguinem ab hac materia per depoſitionem quandam liberet. Ad hanc opinionem extra dubium ponendam experimenta et artificiales lactis iniectiones inſtitui earumque effectus bene obſeruari debent, quo modo forſan totam illam morborum ac ſymptomatum, quibus puerperae corripiuntur copiam detegeremus.

Di-

Discussis igitur nunc lactis metastasium causis, fortassis quidam theoriam harum metastasium originis expectabunt; Lectores vero in arte salutari ac obstetricia versati certe nullam desiderabunt, cum iis iudicium virorum experientissimorum de huius theoriae difficultatibus non sit ignotum.

§ III.

De locis, quae metastases occupant.

Omnes lactis a mammis retrogressi et ad alium corporis humani locum delati effectus in duas diuidere possumus sectiones, ad quarum priorem illos referimus casus, vbi lac per alias C. H. vias vna cum suetis in his locis excretionibus effluit; ad posteriorem vero, si lac in massam sanguineam resorptum ac per totum corpus distributum sese accumulat et in parte quadam corporis vel externa vel interna se figit ac depositionem facit, (seu vt GALENI verbis vtar, si lac vel ad colatoria defertur, vel in parte quadam defigitur) nulla vero habita ratione, an natura hoc modo vtroque in casu crisin efficiat perfectam. Nobis sufficiat, inquirere, quantum natura studeat, hanc materiam et ex sanguine et corpore expellere. Sine dubio prior effectus naturae legibus magis est consentaneus ac feminis aegrotis minus periculosior. Per aluum, vrinam et cutis superficiem, inquit b. v. SWIETEN *a*), naturali lege de corpore exeunt illa, quae sanitatem turbarent, si diutius manerent in corpore. Ex his patet facilis ratio, quare lac quandoque in sanguinem redeat absque vlla fere molestia.

 Per

a) Comment. T. IV. p. 609.

Per os lac vario modo excretum esse, nonnullae probant obseruationes. NVCKIVS enim feminae cuiusdam mentionem fecit *b*), quae lac cum dolore in os prosiliisse sensit, cum subitanea mammae dextrae detumescentia. PVZOS *c*) pluries in vna eademque femina saliuationem lacteam obseruauit. Ita quoque post ablactationem lac per os excretum esse mira certe metastasi legitur *d*). Ill. TISSOT saepius lac per vomitum eiici vidit *e*) et duobus in casibus saluberrima fuit excretio, quae aegrotas ex orci faucibus eripuit.

Omnium maxime naturalis via visa est, si per vteri vasa sub lochiorum forma prodiret, non tam ob solum inter vterum et mammas consensum, sed quoniam scrutinia, experimenta et obseruationes multorum summorum virorum abunde nos docuerunt, lacteum humorem durante grauiditate per vteri vasa lymphatico-lactea ad placentam foetus nutriendi causa peruenire, post partum vero absolutum et vteri contractionem hic nullum exitum inuenire et tunc versus mammas propelli. Si igitur haec vasa ex quacunque causa satis se non constringunt, humor lacteus hac effluere via adhuc consuetus, in ipsa iterum penetrabit. Lochia etiam post partum ex vtero effluentia plerumque per octo vel decem dies continuant; si vero puerpera pusioni vbera non praebet, per tempus longius fluunt. Lochia sensim sensimque colorem amittunt rubrum, flauum induunt ac denique perfecte albescunt, quae tunc secundum LEVRET *f*) lacti

a) Comment. T. IV. p. 609.
b) Sialographia et ductuum aquosorum anatomia noua, pag. 50.
c) l. c. pag. 344.
d) Ephemer. Nat. Cur. Dec. II. 4. I. obs. 76. pag. 165.
e) l. c. §. 58.
f) l. c. §. 822. vbi de lochiis albis similitudinem a un lait épais et crê-

cti sunt similia. Quotidie etiam videmus, lochiorum fluxus augeri, quando lac in mammis minuitur ac etiam vice versa. Lac ad vterum et in lochia conuerti, vetusta est opinio, etiam a terrore, vt multo tempore per vterum lac fluxerit et contra parca esse lochia, si lac de mammis abunde manauerit. Porro satis notum est, in feminis istis, vbi lochia haec alba per nimis longum tempus fluunt, phthisin esse metuendam. Neque nobis desunt obseruationes haec a nobis dicta confirmantes et PAVLINI g) exemplum protulit, vbi menstrua lactea in virgine quadam obseruauit. Haec vero lactis per vterum excretio, multa affert incommoda, pericula ac noxias sequelas, de quibus infra.

Simili modo per aluum lac e corpore humano eiicitur, quae tertia via est. Plerumque sub forma diarrhoeae, quae vel sponte a natura ipsa, vel artificialiter a medicamentis purgantibus efficitur, lac tunc secedit. Magna eiusmodi obseruationum copia exstat, e quibus maxime memorabiles sequentes mihi visae sunt. A lacte nimirum, ad tempus in sanguine retento, deinde vero in intestina deposito diarrhoeam nasci, et maxime post febrem lacteam apparere asserit DELEURYE l. c. Eiusmodi diarrhoeam lacteam cum mammis decrescentibus obseruauit STORCH h) Cl. PLANCHON coniugem suam aegrotam diarrhoea lactea, pluries in vno eodemque puerperio repetita, a lactis metastasi fere plane iam formata liberatam esse

 nar-

crêmeux affirmat; en effet, inquit, on voit souvent de ces linges avoir des taches en tout semblables à celles que l'on trouve aux linges que l'on met sur le sein des nouvelles Accouchées, lorsque les Mammellons ont coulé jusque à un certain dégré.

g) Obseruat. Cent. I. obs. 6.

h) Weiberkrankheiten. B. 6. S. 608.

narrat *i*). Celeb. TISSOT in puerpera quadam intra viginti quatuor horas septuaginta et septem sedes obseruauit, quae nihil aliud, quam solum ac purum lac esse videbantur, et circiter viginti quatuor vel quinque Pintas, quae iuxta mensuram Parisiensem libras quadraginta octo vsque ad quinquaginta, iuxta Bernensem vero triginta nouem vsque ad quadraginta libras aequant, explebant. Quae excretio solito maior diebus sequentibus quidem minuebatur, tamen adhuc per sex septimanas continuabat, immo eiusmodi sedes lacteas etiam per longius temporis spatium continuasse asserit *l*). Etiam SMELLIE huius excretionis testis est *l*) et alii plures PVZOS *m*), WHITE *n*), etc.

Lac quoque saepe per vias vrinarias excerni, tot probant obseruationes, vt Cel. SAUVAGES singularem ideo morborum speciem nomine vrinae lacteae constituere visum sit et Nephralgiam ab vrina crassa lactea oriundam afferat *o*). ANDRY *p*) nutricem nouit, in cuius mammis eo tempore, quo vrinam lactescentem excreuit, lac deficit. Aliae lactis per vrinam excreti obseruationes alibi exstant *q*). Celeb. TISSOT mulieres hac via post puerperium per sex menses lac excernentes vidit.

Vlti-

i) ROUX Journal de Med. Chir. etc. T. XXIV. 1766. Maj. p. 408.
k) l. c. §. 56.
l) Treatise on the Theorie and Practice of Midwifery by WILL. SMELLIE pag. 420. inquit: "if the (Milk) fever proceeds for some days, the patient is frequently relieved by criticals sweats, a large discharge from the uterus, miliary eruptions, or loose stools mixed with milk, which is curdled in the intestines.
m) l. c. pag. 341.
n) l. c. p. 176.
o) Nosol. meth. T. III. P. I. p. 271.
p) De la generation de yers, pag. 82. sq.
q) Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. 1. obs. 88. p. 90. STALPART van der WIEL Obseru. Cent. II. obs. 37. PVZOS l. c. p. 341. v. SWIETEN Comment. T. IV. p. 610.

Vltimum excretionis lacteae per vaſa corporis humani excernentia genus adhuc reſtat, quod in eo conſiſtit, vt lac per poros cutaneos forma ſudoris ex corpore eliminetur ac eiiciatur. Omnis iamiam febris lactea ſudore quodam tanquam criſi terminatur. Materies, quae in puerperis per ſudores ſecedit, ſpecificum ſpargit odorem, ſero lactis ſimilem, ſicuti obſeruatores manifeſtarunt et vnumquemque experientia ſua huius rei conuincet. Induſia etiam ac linteamina poſt hunc ſudorem ita rigeſcunt, vt liquidum hocce, quod linteamina imbiberunt, ſudore ſueto ſpiſſius ſit. Plurimae etiam obſeruationes probant, lactis metaſtaſes iamiam formatas ſudoribus ſolui, nec alio modo fieri hoc poteſt, quam vt materia morbida e corpore expellatur. Exanthemata etiam et tumores ſuperficiales a lacte in corpore oberrante orti, huic ſententiae fauent ac eam probant. Sudore lactis copiam minui permulti affirmant auctores, v. c. Celeb. WHITE *r*).

Quodſi autem lac nulla e modo dictis via eiicitur, duplex eſt ratio, vel lac in vaſis ſanguiferis adhuc reſtat, vel in loco quodam extrauaſationem generat. Priori in caſu febrem excitat et ſi praecipue vaſa cuiusdam viſceris intrat, huius functiones turbat et hoc modo varios producit morbos, ſi e. g. cerebri vaſa intrat, apoplexiam, deliria, Paralyſes etc. oriuntur. In caſu poſteriori tumores iſti vel extrauaſationes in partibus tam internis quam externis contingere poſſunt. Cum vero vtriusque caſus differentia in aegrotis raro dignoſci poſſit, nec ad curationem quicquam conferat, num modo materiae huius morboſae impetus, an iamiam eius extrauaſatio adſit, binos

hos

r) CARL WHITE von der Behandlung der Schwangern und Kindbetterinnen. 1775. p. 161.

hos casus complectamur et modo differentiam secundum partem affectam, vtrum sit interna an externa spectabimus. Primum vero obseruationes metastasium internarum earumque sequelas considerabimus. Ante omnia monendum erit, metastases ipsam etiam substantiam omnium partium supra allegatarum, per quas lac saepe excernitur, v. c. vteri, vesicae vrinariae, intestinorum, etc. afficere posse; exitus enim variis caussis prohibitus esse potest. Sic Cel. LEVRET s) duplex vlcerum lacteorum in vtero genus annotauit. In genere omnia corporis humani viscera his lacteis depositionibus exposita sunt et vel irritamentum in quodam vel cuiusdam debilitas hoc vel illud inprimis reddunt idoneum, istum humorem morbosum lacteum attrahendi. Legimus obseruationes apoplexiae ex lacte cerebrum obruente ortae, quae dissectionibus LEVRETI confirmatae atque extra dubium positae sunt. RAVLIN t) has ad cerebrum metastases in duo genera diuisit, et vt mihi videtur, non sine fructu curationis adhibendae; alias quippe censet ad cerebrum ipsum, alias ad membranas eius fieri; priores sine dolore esse, posteriores vero magnos afferre dolores, id quod ex tunicarum tensione, sicut in multis capitis vulneribus vsu venire solet, nobis explicare possemus. PVZOS u) multa apoplexiae lacteae affert exempla. Sed alios adhuc morbos causa haec effecit; modo enim cephalalgiam vehementissimis cum doloribus, modo maniam PVZOS v) obseruauit. Delirium vel cum furore audaci coniunctum, vel triste, taciturnum, melancholicoque simile Ill. BALDINGERVS, praeceptor summe venerandus ex hac caussa oriri vidit. Sic etiam paralyses earum corporis partium,

s) l. c. §. 986.
t) l. c. p. 291.
u) l. c. p. 389. sequ.
v) pag. 234. 387. SAVVAGES Nosol. Meth. T. III. P. I. pag. 405.

tium, quarum nerui praecipue ab hoc lactis in cerebrum influxu premuntur, ita vt puerperae vno vel altero ſenſu v. c. viſu vel auditu priuentur, excitare ſolet, quorum exempla in PVZOSII aliorumque auctorum ſcriptis exſtant *w*). Caliginem et Epiphoram lacteam SAUVAGES notauit *x*).

Quando lac in pectoris cauitatem penetrat, calorem ac inflammationem in parte occupata gignit; ſic a lactea materia, vt cadauerum diſſectiones probauerunt, modo peripneumonia *y*), modo Pleuroperipneumonia *z*), modo Pleuritis *a*) orta eſt. Interdum etiam vehementem, ſiccam, moleſtam tuſſim *b*), Aſthma et periculoſas excitat ſuffocationes *c*) ſi lac in celluloſa figitur et veſiculas vaſaque pulmonalia comprimendo reſpirationem reddit difficiliorem.

Lac ad varia abdominis viſcera quandoque deferri ex antea dictis abunde eluceſcit. Multas enim hydropis lactei inuenimus obſeruationes, vbi lac vel ſpontanea vmbilici disruptione effluxit *d*), vel vbi lactis eliminandi cauſa operatio paracentheſeos

w) Amauroſin ex preſſione nerui optici ortam affert SAINT YVES cf. Ei. Nouveau Traité des maladies des yeux. Paris 1722. p. 243.
x) Noſol. meth. T. II. P. II. p. 259. et T. III. P. II. p. 236.
y) DELEURYE l. c. p. 344.
z) PVZOS l. c. p. 374.
a) ROUX Journal de Medic. etc. 1770. Tom. XXXIV. C. IV. p. 315.
b) Ill. BALDINGER l. c.
c) RAVLIN l. c. p. 300.
d) Ephemer. Nat. Cur. Ann. VIII. Dec. II. obſ. 167. p. 451. Journal de Med. etc. par M. ROUX 1774. T. XLII. Septembre p. 231. *Cel.* IAEGER l. c. pag. 29. inquit: ipſe honeſtam feminam nominare poſſem, cui in primo puerperio mamma apoſtematoſa in ſu-

ſeos eſt inſtituta *e*). In multis feminis etiam poſt mortem lac in abdomen effuſum inuenerunt obſeruatores *f*). Sufficiant hae obſeruationes et nunc adhuc metaſtaſeos ad abdominis ac peluis partes ſupra nondum nominatas v. c. ad ligamenta vteri lata, ouaria, etc. mentio facienda eſt, de qua nullas cadauerum diſſectionibus probatas inueni obſeruationes; in plurimis enim modo ex regione, in qua tumor ſitus erat, ad partem occupatam concluſerunt ac feliciter metaſtaſes diſſiparunt; omnes vero ac ſinguli auctores libenter concedunt, in omnibus aliis partibus lactis metaſtaſes eſſe metuendas.

Nunc me ad lacteas depoſitiones in partibus corporis humani externis conuerto, quando lac reſorptum nullam corporis cauitatem intrauit, ſed eas modo partes, quae ſub cute poſitae ſunt, vel glandulas, vel telam celluloſam. Lac ex mammis rediens glandulas conglobatas in vicinia ſitas ingreditur, expandit et ſic interdum totum collum in tumorem eleuat, vt ASTRVC notauit. Lac in glandulas ſaliuales intrare poſſe, ex obſeruationibus ſupra allegatis manifeſtum eſt. Glandulas axillares obſtructas et ob lactis abſorptionem tumentes in feminis vbera infantibus ſuis denegantibus Cel. HVNTER *g*) obſeruauit. Exemplum adeſt *h*), vbi tumor totum pectus, collum ac

ſuppurationem abiit, vt ideo non lactaret, atque poſtea ſub noua grauiditate lacteus humor ex vmbilico effluxit, nullo intra mammas lacte generato.

e) ROUX l. c. 1770. Tom. XXXIV. Cahier III. et Cahier VI. p. 555. *Celeb.* BLOCH l. c. p. 185.

f) PVZOS l. c. p. 372. Memoires de l'academie des Sciences à Paris. 1728.

g) Medical Commentaries Part I. by WILLIAM HVNTER. London. 1762. p. 61.

h) ROUX Journ. de Med. T. XXXIV. p. 284.

ac ſcapulas occupauit. Ex his igitur facile perſpici poteſt, glandulas mammales ipſas et mammis proximiores ſaepiſſime ac grauiſſime huic malo eſſe expoſitas, quod etiam obſeruationes affirmant; quotidie enim mammae ex puerperio morboſae occurrunt. Omnia enim, quae vel abundantiam et coagulationem lactis, vel impedimenta eius effluxus gignunt, efficiunt, vt lac non ſolum in glandulas mammales, ſed etiam in earum telam celluloſam effundatur. Raro tota mammarum celluloſa in tumorem vndique aequalem eleuatur, ſed plerumque nodi ac tumores diſtantes ac inaequales tam ratione magnitudinis quam duritiei diuerſi oriuntur. Eiusmodi obſeruationem, vbi propter lactis retropulſionem glandulae vtriusque mammae fiebant obſtructae, tumentes ac dolentes, Cel. LENTIN nobis tradidit *i*), quae innumerabiles tam magnae quam paruae glandulae obſtructae ſtrepitum quendam ediderunt, quando eas huc vel illuc mouebant. Lac ad muſculos pectoris migraſſe obſeruauit PVZOS *d*). DE HAEN poſt Nuciſtae foliorum ad dorſum applicationem tumorem metaſtaticum in dorſo ſe eleuare, tumidis mammis pedetentim dureſcentibus, vidit *l*). Metaſtaſes lacteas ſaepiſſime in regione abdominis ſeſe generare, experientia docet; multi enim ſic dicti hydropes lactei nihil aliud ſunt quam huius liquoris effuſio intra peritonaeum et muſculos abdominis, in aliis etiam ſub cute et adipe. PVZOS aſſerit *m*) tumores metaſtaticos maxime notabiles in tela celluloſa peritonaei, in ligamentis latis, vel ouariis naſci. Depoſitiones hae lacteae in inferiore abdominis regione plerumque ab vnius vel

E 2 al-

i) Ei. Beobachtungen einiger Krankheiten, Göttingen 1774. p. 86.
k) l. c. p. 374.
l) ANT. DE HAEN Rationis medendi Pars ſeptima. Viennae 1762. p. 135. ſq.
m) l. c. pag. 347.

alterius lateris inguine vsque ad offis ilei fpinam anteriorem et fuperiorem pertinent; minime vero femper, vt obferuatio illa Cl. BEAUSSIER *n*) docet, fieri folet. Ad iftam vero opinionem adhuc obferuationibus recentioris ac praefentis temporis virorum fumma fide dignorum confirmandam, inprimis vnam obferuatioem Cl. BLOCH et binas Cel SCHMVCKERI *o*), quae eiusmodi lactis metaftafes in regione ifta ortas effe declarant, omittere non poffum. Innumeras hic afferre poffem obferuationes, nifi iamiam fatis notae effent ex fcriptis PVZOSII, LEVRETI aliorumque, qui eiusmodi tumores etiam in pofteriori abdominis et peluis parte obferuarunt, e. c. in regione renum PVZOS l. c. p. 384. Decubitus lactei ad fpinam lumbarem b. LVDWIGIVS mentionem fecit *p*), et caufam frequentioris eius originis attulit, quoniam mulieres per validos in partu nifus ligamenta, mufculos ac neruos fpinae dorfi lumbaris et coniunctarum cum offe facro coxarum vehementer tendunt. Nonne vero haec abdominis partium poft partum debilitas, quae neceffario fubitaneam hancce relaxationem fequi debet, tanquam caufa generalis difponens lactis metaftafium ad has partes aeftimanda eft, quae caufa etiam metaftafibus in extremitatibus inferioribus fauet? faepiffime enim et in his tumores exfurgunt lactei. Cl. OTTO lac glandulas inguinales intraffe et tumidas reddidiffe vidit *q*). Celeb. WHITE fubitaneam lactis metaftafin ex mammis ad peluim, inguina, femora et crura obferuauit, ex qua morbus valde dolorificus et moleftus ortus eft *r*). Multae adfunt obferuationes vbi tumores in inguine ac fe-

n) ROUX Journ. d. Med. T. XXXIV. p. 315.
o) BLOCH l. c. SCHMVCKERS vermifchte chirurgifche Schriften B. II. Berlin 1779 p. 29. fq.
p) Aduerf. med. pract. Vol. I. P. IV. pag. 728.
q) ASTRVC l. c. Th. V. p. 221.
r) l. c. p. 123. fq.

femora orti ſunt, modo in dextro modo in ſiniſtro latere s). Ex omnibus vero iſtis obſeruationibus inter ſe collatis mihi elucefcere videtur, femur dextrum pluries ab iſtis metaſtaſibus affici quam ſiniſtrum, ſed etiam nunc cauſam ſufficientem adiungere non audeo. Facillime etiam hi mataſtatici tumores ex altero femore in alterum transeunt et hoc modo locum ſuum mutant. Interdum etiam lac extremitatum interiora petit, ſic in *Journal de Med. &c.* t) obſeruationem legimus, vbi oedema lacteum metaſtaticum in genu ſiniſtro ortum eſt; immo PVZOS narrat v), humorem lacteum poſt partum in digitos mulieris tam pedum quam manuum migraſſe ac tumorem in iis excitaſſe. Similiter etiam eiusmodi tumores metaſtatici in extremitatibus ſuperioribus ac in inferioribus annotati ſunt. Cel. SCHMVCKER in tertia ſua obſeruatione, antequam metaſtaſis in femore eſſet facta, dolorem in humero et brachio dextro notauit; et in illo ex *Journal de Med.* allegato caſu adfuit ſimul oedema lacteum in brachio dextro; ſic etiam in caſu a PVZOS tradito digiti manuum erant tumefacti.

Nunc adhuc metaſtaſes illae ad corporis ſuperficiem ſunt conſiderandae. Tumores in variis corporis regionibus ortos atque lactis excretionem per ſudorem hic denuo allegare animus non eſt, ſed modo Exanthematum rationem habeamus. Quorum cauſam cum multi auctores fere ſolo in lacte verſus cutem migrante ponant; magis tamen nobis ſententia illa b. LVDWIGII w), quam de purpurae puerperarum origine protulit, arridet.

s) ROUX l. c. BLOCH l. c. SCHMVCKER l. c. tres communicauit obſeruationes. M. A. WEIKARD Vermiſchte mediciniſche Schriften Frf. 1778. p. 47.

t) T. XXXVI. p. 411.

v) l. c. p. 393.

w) l. c. Vol. II. P. II. p. 184.

ridet. Fortaſſis autem lac ſub Exanthematibus et cute ſtagnans non tam vt exanthematum cauſa, ſed potius vt eorum effectus conſiderandum eſt, ita, vt lac hoc loco ſtagnans per poros cutaneos exanthematibus obſeſſos et inflammatione contractos, vel plane clauſos exhalare non poſſit. LEVRET *x*) tres conſtituit diuerſas exanthematum ſpecies, quibus puerperae corripiantur eorumque originem nimiae ſpiſſitudini lactis ad poros cutaneos delati, ita vt per os transgredi nequeat, tribuit. Prima eruptionum ſpecies et omnium vſitatiſſima ſunt miliaria alba, minime vero cryſtallina; in altera ſpecie exanthemata ſunt craſſiora et puſtulis varioloſis ſimilia, tertiam denique ſpeciem maculae vagantes, irregulares, modo parum ſupra cutem eminentes inflammatoriae indolis conſtituunt, de quibus *q*) aſſerit, interdum characterem malignitatis induere poſſe. DELEURYE *z*) ita hac de re differit: ſi paruam modo humoris lactei copiam ſanguis in ſe continet et corpus integrum eſt, purpura oritur rubra; ſi vero magna humoris lactei copia maſſae ſanguineae eſt admixta, humores iamiam ſunt mutati etiamque ſordes primarum viarum adſunt, febris ſequitur putrida cum purpura alba iuncta. Si denique corpus valde eſt debilitatum, ſyſtema neruoſum affectum, humor lacteus degeneratus ac ad neruorum principia delatus, tunc purpura naſcitur maligna. Si vero haec ratiocinatio vera eſſet, nonne omnibus in puerperis ſaltim purpura rubra in cutem prodire deberet? In omnibus enim ſanguini humor lacteus eſt admixtus, vt cadauerum ſectiones ad oculos demonſtrarunt. PVZOS caſum quendam narrat *a*), vbi lac ſub forma ſeri lactei ad cutem deponebatur, et

x) l. c. Chap. III. Sect. V. p. 169. ſq.
y) §. 909.
z) l. c. §. 1112.
a) l. c. p. 344.

et vehementem excitabat pruritum, et alibi *b*) eiusmodi eruptionis lacteae historiam affert. Saepe etiam eruptiones cutaneae modo particulares (vt hoc verbo vtar) generantur, v. c. herpetes, scabies, vlcera vnguinosa, panaritia, exsudationes seu percribrationes particulares, aquosae vel puriformes etc.

Praeter istas affectiones dictas alii etiam morbi ex lacte degenerato et ad locum alienum morbose delato excitantur. Sic PVZOS *c*) cariem in articulatione inguinis in infante lacte morboso nutrito oriri vidit. Symptomata hysterica ex lacte retropulso nata annotauit WEPFERVS *d*). Conuulsiones interdum, immo mortem ipsam subitaneam ex lacte retropulso produci asserit DAVID *e*), phthisin pariter a lactis metastasi oriri retulit Ill. BALDINGER *f*). Obseruationem metastasis lacteae cum febre intermittente iuncta legimus in *Journal de Méd. g*).

§. V.

De dubiis.

Hodierno tempore lactis resorptionem certe nemini quam anatomiae imperito dubiam videri posse credo. Notum enim est, duplicis generis vasa resorptioni lactis inseruire; primo vasa

b) p. 377.
c) l. c. p. 349.
d) Obs. p. 72.
e) Ei. Abhandlung von den Mitteln die Milch bey Weibern zu verringern etc. in den Sammlungen für practische Aerzte. Erstes Stück p. 126.
f) l. c.
g) T. XXI. p. 113.

ſa ſanguinea venoſa, quae cum tubulis lactiferis intimam alunt connexionem, atque initium ſuum, praeter capillares anaſtomoſes, ſanguinis circulo dicatas, cum vltimis arteriarum ſurculis, per minores ramos reuehentes ex ductibus lactiferis ortos ducunt. Alterum vaſorum genus vaſa conſtituunt lymphatica, tam ex tubulorum lactiferorum cauitatibus, quam ex celluloſa glandulis mammarum interiecta originem trahentia. Omnia haec vaſa lymphatica in ſuperficie mammarum poſteriori in plures ramulos maiores coniuncta glandulis appropinquant conglobatis et ſeſe cum vaſis lymphaticis ex his glandulis plexus lymphaticos axillares adeuntibus coniungendo, cum his in glandulis conglobatis ſe diſpergunt, ex quibus iterum trunculi lymphatici exeunt, vbi denique omnes hi rami in duos maiores collecti in venam ſubclauiam vel variante inſertione in venam iugularem transeunt ac ſeſe finiunt. Plura de vtroque vaſorum reſorbentium genere copioſe ac eleganter expoſita ac experimentis confirmata in ſcriptis Cel. KOELPIN *h*) et b. MECKELII *i*) legimus.

Cum igitur de reſorptionis lactis poſſibilitate nullum ſuperſit dubium, tamen recentioribus temporibus medici quidam in Germania omni ſtudio incubuerunt, vt reſorptionem lactis ab illis ſupra allegatis noxis liberarent. Omni iure medicis his gratias debemus, quod alios ad puerperarum morbos attentiores reddiderint; certe enim in vita communi occurrit, nimiam morborum in puerperis copiam ab aniculis et medicaſtris (vt

b.

h) Diſſ. de ſtructura mammarum ſexus ſequioris nuperrimis obſeruationibus ac experimentis ſuperſtructa. Gryphisw. 1764.

i) I. F. MECKELII Noua experimenta et obſernationes de finibus venarum ac vaſorum lymphaticorum. Berol. 1772. 8.

b. MECKELII verbis vtar) huic lactis in sanguinem regressui attribui; omnes vero huius resorptionis effectus negare, mihi etiam hac in parte modum nimis excedere videtur. Inprimis ante aliquot annos b. MECKELIVS in libro suo citato contra hanc theoriam insurrexit eamque aggressus est. Binas propositiones tanquam sufficienter comprobatas et quasi axiomata praemittit atque assumit: lac scilicet nutricis in statu sano etiam semper resorberi, ac deinde, lac esse chylum atque humorem plane sanum; quibus praemissis sequentes formauit ac constituit conclusiones: haec igitur lactis resorptio noxia fieri nullo modo potest et morbi ac symptomata, plerumque lactis resorptioni attributa, ab aliis quibusdam causis, in quibus simul lactis in mammis defectus patet, generantur ac oriuntur. Negare nolim in statu sano mulieris lactantis integra corporis constitutione praeditae lac post rectam infantis suctionem adhuc restans ac superfluum resorberi etiamque nonnunquam sine vllo sanitatis notabili detrimento; de hoc casu vero hic sermo non est, sed potius de illo, vbi vel nullus lactis effluxus adfuit, vel lac in mammis praesens causa quadam est corruptum. Nemo ignorat, facillime ac saepissime a pluribus causis, quas hic repetitionis causa recitare animus non est, lac vitiari eiusque qualitates naturales corrumpi posse. Quis enim vim lactis ex vberibus matris iratae vel terrore perculsae assumti in infantes negare potest? Si igitur lac hoc vel alio modo vitiatum ac corruptum denuo massae sanguineae admisceatur, nonne magnas in circulatione sanguinis producet perturbationes? nonne tota massa sanguinea humore isto noxio repleatur ac vitietur, necesse est? Non vnica modo causa lac in mammis vitiari posse, ex eius secretione etiam patet. Saepe etiam, vti Ill. BALDINGER iamiam recte monuit, ex causis singularibus, nullo

vitio in corpore oberrante in mammis tantum particularis oritur morbus ac temporis mora ſuperuenit morbus vniuerſalis, totum corpus afficiens. Hac vero ratiocinatione affirmare nolo, omnes febres puerperas infeſtantes ſemper lac corruptum ſanguini admixtum cauſam ſuam proximam agnoſcere, ſed modo ex his omni iure concludere mihi licet, lac iſtud vitiatum magnopere matri nocere debere, cum huius lactis quantitas quaedam eiusmodi vehementes effectus in infantibus exſerere poſſit. Praeterea adhuc ſtatuo, reſorptionem lactis nulla quadam cauſa ſingulari mutati iamiam per ſe, ſi v. c. nimis magna reſorbeatur quantitas, noxiam fieri, aeque ac diaetam nimis lautam ac nutrientem in ſtatu corporis morboſo; ſanguinem enim auget, condenſat vaſaque diſtendit. Verum etiam, ſi modo lactis effluxus prohibeatur, lac propter ſtagnationem ſolam corrumpitur; b. HALLERVS iamiam in opere ſuo phyſiologico, in folliculis acrimoniam naſci et etiam lac ſtagnando ex dulci amarum reddi, nos docuit. Huic corruptioni multae cauſae fauent, inprimis vero, ſi ne coloſtrum quidem e mammis ſeceſſit et hoc in caſu mihi valde veroſimile vdetur, lac acrimoniam acidam contrahere, quoniam coloſtrum naturae acidae eſt.

Alia adhuc dubia contra hanc lactis metaſtaſium theoriam prolata inueni in *Biblioth. Lemgov. l*), vbi liber inſcriptus, *Sammlungen auserleſ. Abhandl. zum Gebrauche für pract. Aerzte. Ites Stück*, in quo auctores quatuor commentationes de metaſtaſi lactis agentes, nempe PVZOS, DAVID, LEVRET, et DELEURYE verſione germanica vulgatiores reddere voluerunt, diiudicatur. Poſtea etiam in Ill. BALDINGERI *Magazin für Aerzte m*) diſſer-

l) Auserleſene Bibliothek der neueſten deutſchen Litteratur. Lemgo. 1776. Neunter Band, p. 44.
m) Neuntes Stük, p. 794.

ſertationem quandam hac de materia agentem *n*) legi. Simulac hanc diſſertationem perlegiſſem, facile perſpexi, huius ſcripti auctorem et illum cenſorem in Bibliotheca Lemgouienſi vnum eundemque eſſe virum, nec errare vereor, ſi dubia haec a CRELLIO *Profeſſore in Academia Helmſtadienſi longe celeberrimo* originem ſuam traxiſſe, arbitrer. Cum vtroque in loco eadem dubia, in poſteriori vero libro prolixius et accuratius ſint prolata, haec tantummodo perſequi ſtatui. Ante omnia ſententia *Viri celeberrimi*, quo modo tumores vulgo lactei dicti oriantur, afferenda eſt. Cenſet enim, tumores iſtos nihil aliud eſſe, quam effuſiones humorum ſeroſorum in telam celluloſam partis cuiusdam debilitatae propter excretiones ſubito ſuppreſſas, vnde corporis aequilibrium ſubito tolleretur atque vaſa iamiam expanſa ac dilatata humores iſtos excretioni aſſuetos in ſe recipere ac retinere non poſſent; atqui hanc opinionem facili illa medendi methodo, qua tumores iſti reſoluuntur, veroſimilem reddi, arbitratur. Porro Vir Celeb. aeque ac b. MECKELIVS veriſſimum habet, lac nihil aliud quam verum eſſe chylum, ac itaque lac reſtans, quod infantis nutritioni non impenderetur, plane innoxium putat. Ponderare vero debemus, lacti ex chylo ſecreto varia adhuc admiſceri, nempe aliquid Lymphae atque adipis, et forſan adhuc alius quidam liquor in mammis ſecernitur lactique admiſcetur, vnde coloſtrum acidam acquirit naturam; hoc vero modo eſt coniectura ac fortaſſis coloſtrum hanc induit naturam ſola in mammis ſtagnatione. Verumtamen lac non amplius purus eſt chylus, libenter quidem concedo lac ſtatim poſt ſuam ſecretionem (ſi modo a coloſtro mammae ſint liberatae) reſorptum forſan non magnas

n) Bemerkungen und Zweifel überdie Milchverſetzungen (Depôts laiteux) vom Herrn Profeſſor C** in H**

in oeconomia animali turbas excitare; hic cafus autem rariffime modo contingit, fed plerumque lac iamiam ad tempus in mammarum folliculis ac cellulis ftagnauit, antequam remedia adhibentur ad reforptionem promouendam. Fere omnes corporis humani liquores per aliquot dies in calore corpori humano naturali conferuati corrumpuntur et acrimoniam putridae ac vrinofae indolis concipiunt. Lac vero ante fuam reforptionem in mammis ftagnare debere, fatis elucefcit, fi modo confideremus, in puerperis multo maiorem lactis copiam fecerni quam vafa reforbere poffint. Hoc igitur modo affirmare poffumus, lac, feu chylum non amplius perfecte purum, ob ftagnationem degeneratum ac corruptum, fi reforptum fit, in fanguine puerperae, feu feminae debilitatae diu immutatum natare, ac in vafis poft partum relaxatis et non eodem tono ac robore quam in grauiditate gaudentibus rite non conuerti et corrigi, vt corporis nutritioni inferuire poffit. Quod ad debilitatem feminarum ftatim poft partum editum attinet, ita ratiocinatur: in feminis debilitatis maior lactis abundantia adeffe nequit, quam vi vaforum fuorum affimilare poffunt, quoniam facultate, magnam ac bonam chyli quantitatem ex paucis cibis affumtis extrahendi, carent. Haec vero obiectio quotidiana experientia refelli mihi videtur. Plurimae enim feminae ftatim poft partum magnam alimentorum copiam non ingerunt, attamen vero ftatim in primis puerperii diebus fufficiens et faepe abundans lactis copia in mammis adeft et nifi iam praefto eft, tamen febre lactea fuperata mammas intrat. Prima ideo poft partum lactis fecretio mihi non in eadem proportione cum chyli praeparatione fieri videtur, quod etiam praeterea forfan ex prioris lactis indole ac natura demonftrari poteft. Saltim vafa mulierum durante febre la-

ctea

ctea robore quodam pollere debere, vt maior fiat ex ſanguine lactis ſecretio, quam in hoc ſtatu corporis debilitati ſecundum naturae leges ſecerni poſſet. Plures etiam enarratae ſunt obſeruationes, vbi ſtatim poſt partum vera lactis abundantia adfuit, quod phaenomenon ſequenti modo fortaſſis explicare poſſumus, quod lac quidem iam e ſanguine ſit ſecretum, ſed in grauiditate ex naturae lege verſus vterum migret, deinde vero propter vaſorum vteri contractionem verſus mammas propellatur et quaſi congeſtionem lacteam particularem verſus mammas excitet.

Nunc *Vir Cel.* ad difficultatum conſiderationem transgreditur, quae in originis horum tumorum lacteorum explicatione occurrunt, hodieque ratione quadam ſufficiente explicari non poſſunt. Quare vero hoc in caſu ex analogia concluſionem facere nolimus, cum abunde conſtet ex obſeruationibus, alios corporis humani liquores, v. c. pus, vrinam, bilem, immo ipſum chylum nonnunquam alienis in locis et quidem etiam in tela celluloſa effundi. Humores ſaepenumero verſus partem corporis quandam vel debilitatam vel irritatam migrant, et nonne ſaepe humores a materia quadam morboſa liberare, purificare et materiam morboſam ex iis eliminare poſſumus per vlcera illa artificialia huic vel illi parti applicata?

Nunc *Auctor* Celeb. grauiſſimo inſurgit argumento, opinionem enim, verum lac his tumoribus ineſſe, in dubium vocare annititur. Primum argumentum repetit ex facili medendi methodo his tumoribus, qui ſaepe intra plurium hedomadum ſpatium generentur; ac ſi lac tumoribus ineſſet, ſeſe coagulare, pars eius ſeroſa reſorberi, caſeoſa vero ac praecipitata

relinqui deberet, et ob ſuam aeque per calorem ac per fluidum quoddam inſolubilitatem nullo modo ex loco affecto reuehi poſſet. Cum igitur multa perfectae reſolutionis exſtent exempla, concludit, verum lac hisce tumoribus non ineſſe. Suadet porro, ne in huius generis tumorum inquiſitione habitu eius externo ſimus contenti, ſed vt perſcrutemur, an per varia chemica auxilia et experimenta in hac materia lactis qualitates ac partes conſtituentes detegi poſſint. Dubito vero, ſi etiam opera haec adhibeatur, an omnes partes lac conſtituentes hac ex maſſa ſeparari et boni lactis qualitates hoc ex fluido colligi ac ob oculos poni poſſint. Lac enim iam ante reſorptionem forſan erat corruptum, certe etiam in ipſo ſanguinis circulo mutatum, nec rite ac perfecte in hunc locum alienum delatum eſt; pars enim craſſior vaſa minora intrare non poteſt, etiamſi in mammis ante reſorptionem lympha admixta tenuior reddita eſt, ſaepe etiam pars iſta craſſior, ſeu caſeoſa in mammis remanet ibique tumores ac vlcera excitat. Varias omnino hic allegare poſſem obſeruationes ex *Ephemeridibus Nat. Cur.* niſi *Vir. Cel.* praemonuiſſet, multos in hanc obſeruationum collectionem caſus receptos fide non eſſe dignos; attamen vnam a PETRO ROMMELIO notatam *o*) ſilentio praeterire non poſſum, vbi ob abundantiam lactis, cui abſumendo infans ſuperſtes, non erat ſufficiens, aliquot dies poſt lactis ſuperabundantis decreſcentiam metaſtaſis intra abdomen facta eſt, materies per vmbilicum ſponte ruptum effluit; hanc autem verum ac genuinum lac fuiſſe ſatis ſuperque demonſtratum eſt, non ſolum colore, ſapore et conſiſtentia, ſed etiam inde, quod butyrum agitatione et conquaſſatione exhibuit. Porro nobis, qui ex ſola modo theoria ratiocinamur, non licet, viros illos, artis obſtetriciae cele-

o) Dec. II. Ann. VIII. Obſeru. CLXVII. p. 451.

leberrimos magiſtros, huius theoriae inuentores ac confirmatores immenſi arguere erroris, quaſi neſciuiſſent, lac a pure illis in locis genito diſtinguere. Multi etiam exſtant obſeruatores recentiores, viri illuſtres ac experientiſſimi, v. c. BALDINGER, WHITE, WEIKARD, BLOCH, SCHMVCKER, etc. qui omnes materiam hanc effluentem lacteam cenſuerunt. Quare etiam materies haec ſemper indolem ac naturam conſeruat lacteam, omnibus in locis corporis humani ſibi ſimilem? ſi pus eſſet, hoc vario modo ſecundum loci diuerſitatem ſeſe mutari deberet; omnibus enim notum eſt, pus ſecundum generationis ſuae locum valde eſſe diuerſum. Sic e. g. Ill. BALDINGER rite obſeruauit in caſu ipſi obueniente id quod aegrota ex pulmonibus extuſſiret ab indole puris in pulmonibus nati omnino alienum, ſed potius lacti ſimillimum fuiſſe. Omnes etiam obſeruatores pus ab iſta materia lactea diſtinxiſſe ex ipſorum obſeruationibus apparet; ſaepe enim legimus, pus hunc effluxum lacteum eſſe ſequutum.

Porro *Celeb. aduerſarius* omnes perluſtrat huius materiae qualitates externas, ex quibus plerumque argumenta pro huius liquoris effluentis indole lactea petuntur. Guſtus ille ſero lactis ſimilis ei non ſufficiens eſt, quia liquidum quoddam ſalſum, accedente mulieris imaginatione, facile guſtum ſero ſimillimum producere poſſet. Cruſtam lactiformem grauidarum aeque ac puerperarum ſanguini ſupernatantem nullum pro lactis ſanguini admixtione argumentum habet, quia cruſta pleuritica etiam in viris morbis inflammatoriis laborantibus fere lactiformis nominari poſſet, ac ſecundum experimenta Hewſonii cruſta pleuritica ex lympha oriri videtur. Sed differentiam illam cruſtae lacteae puerperarum et cruſtae pleuriticae hominum

num morbis inflammatoriis laborantium, quae coloris cinerei gryſei et conſiſtentiae tenaciſſimae ac duriſſimae eſt, quis eſt, qui ignoret. Ad concluſionem iſtam, liquidum hoc effluens propter colorem ſuum ſubalbidum ac conſiſtentiam caſeoſam veroſimiliter lacteum eſſe, refutandam Celeb. CRELL experimenta GABERI circa ſerum corporis humani allegauit *p*), qui in ſero ſtagnante et in colore corporis humani naturali digerente, ſeu putreſcente, duplex obſeruauit ſedimentum, alterum erat albidiſſimum et ſpiſſum, alterum ex albo cinereum, opacum, homogeneum apparebat; interdum tamen, inprimis, vbi ſerum ex hominibus diſcraſia aliqua laborantibus eſſet eductum, erat inaequale, in flocculos diuiſum, etc. Pinguedo, cruor, bilis, ſolidae corporis humani partes ſero admixtae, pus reddunt rancidum, in flauum vergunt, ſubobſcurum faciunt reliquasque dotes diuerſas efficiunt atque eius qualitatem et colorem vitiant; puris enim origo ſecundum haec experimenta in ſero humano eſſe, ei viſa eſt. Sic etiam Cl. CRELL omnia haec liquida, quorum origo lacti adſcribitur nil aliud, quam ſingularia ſeri in celluloſam effuſi ibique ſtagnantis ſedimenta eſſe, credit. Rationes vero iſtas GABERI falſas eſſe ex propriis experimentis ſuis demonſtrauit D. HENDY *q*), qui aſſerit, ex ſero putrefacto nunquam pus generari. Affirmat, ſeri putrefacti ſedimentum a pure valde diuerſum, foetorem ſeri putre-

p) *Miſcellanea taurinenſia T. II. ſeu Melanges de Philoſophie et de Mathematique de la Société royale de Turin pour les années 1760-1761. p. 80* commentationem legimus ſequenti modo inſcriptam: I. B. GABER *Experimentorum de putrefactione humorum animalium ſpecimen ſecundum, in quo praecipue agitur de ſedimento ſeri purulento ac membrana pleuritica.*

q) Medicinische Commentarien von einer Geſellſchaft Aerzte zu Edinburg. Dritter Theil, erſtes Stück, p. 71.

trefacti maximum esse et serum multo citius putrescere, quam pus, nisi huic partes quaedam sanguineae rubrae essent admixtae. Ad omnia dicta sua magis adhuc confirmanda Cl. CRELL obseruationes Celeb. LEAKE r) citauit, qui materiam illam albam viscera obtegentem minime lac concretum, sed purum pus esse, credit, quia omentum in pus sit conuersum, et liquidum sero simile in abdominis cauitate inuentum vel liquidum puriforme, ob colorem sero simile, ex intestinis inflammatis exsudans, vel lympha stagnans et putrefacta ipsi videatur. Quae autem omnia Cel. LEAKE profert, vt confirmet, febrem puerperarum, raro et nullo alio in casu, quam vbi lac nimio corporis calore aut nimis protracta in vasis stagnatione qualitates suas balsamicas amisisset, a lacte retrogrado generarari. Lactis metastases in totum negare *Celeberrimi Viri* animus non est, sed potius affirmat, lac corruptum ac in sanguinem retrogressum varias in corpore humano perturbationes et ipsam febrim excitare posse; hanc vero febrim a lacte retrogresso excitatam valde a febre puerperarum, quam descripsit, diuersam esse monet l. c. pag. 65. Quae omnia vlterius extendere non possumus, quam vt lactis metastases ad abdominis viscera rarius euenire, quam plerique credant, statuamus, quoniam hoc in loco aliae adhuc causae eiusmodi liquorem serosum producere possint. Minime vero ex his mihi videtur colligi posse: quia hoc in loco liquido effuso propter omenti suppurationem eiusmodi natura lactis concreti et flocculosa propria est, omnibus in corporis humani partibus liquidum hoc a

r) Practical observations on the Childbed fever etc. by I. LEAKE. London. p. 60-70.

a ſuppuratione generatur; cum non ignoremus, pus v. c. in extremitatibus generatum hanc naturam et formam non poſſidere, et liquidum iſtud in lactis metaſtaſibus inventum ſemper vna eademque natura gaudeat. Si igitur tumores iſti in extremitatibus obuenientes eiusmodi continent materiam, quae his in locis ex omenti ſuppuratione oriri nequit, ſecundum ſententiam Cel. CRELL materies iſta in ſero effuſo conſiſtere debet. Quae vero opinio ipſo modo, quo tumores iſti generantur, aliisque adhuc criteriis differentiam inter tumores ex cauſa lactea et illos ex cauſa lymphatica ortos conſtituentibus, quae infra explicabimus, abunde refutatur.

Cl. CRELL denique Celeb. KIRKLAND s) citauit, qui pariter reſorptionem lactis non noxiam eſſe putat, ſed potius ſuadet, vt linteamina in oleum lini recenter expreſſum immerſa applicentur, ad vaſa lymphatica in eiusmodi conſtitutione ſeruanda, vt lac in vaſa ſanguifera reuehere poſſint. Cel. KIRKLAND hoc conſilium quidem dedit, ſed remedia iſta ſtatim in initio eſſe adhibenda monuit, vel ſi lac exſugi non poſſit, ait enim: (l. c. p. 149.) "Die Brüſte müſſen auch nicht allein um ein Fieber von dem Eintritte der Milch zu verhüten ausgezogen werden; ſondern ſi müſſen auch, wenn ſie mit Milch angefüllt ſind, ehe das Fieber eintritt, bei der erſten Erſcheinung deſſelben ausgeleert werden, damit man vorbeuge, daſs die Milch nicht ſcharf und wieder eingeſogen werde" et in alio quodam libri ſui loco inquit: mammae in primo febris cuiusdam inſultu ſtatim et magna cum cura ſunt exſugendae.

Ne-

s) TH. KIRKLANDS Verſuch über die Kindbettfieber. Gotha. 1778.

Negat etiam *Cel. Aduerſarius*, odorem acido-dulcem, quem in puerperarum ſudore animaduertimus, lacti exhalanti eſſe adſcribendum, quoniam eiusmodi odor multis in morbis exanthematicis, inprimis in miliaribus, etiam in viris animaduerteretur. Odor vero eiusmodi vel a lacte exhalante oriatur, vel non, certum tamen eſt et omnes fere auctores, etiam ipſi qui metaſtaſes lacteas ex parte negant, in eo conſentiunt, naturam in puerperis per ſudorem lactis partem quandam expellere, vti ſupra iam monuimus. Denique etiam medendi methodus opinioni ſuae fauere ei videtur, quoniam per medicamenta iſta adhibita humores in vniuerſum imminuantur, nulla vero actio ſpecifica in ſingularem quandam humorum ſpeciem efficiatur. Nonne vero per medicamenta etiam hoc in caſu adhibenda interdum ſanguinis extrauaſati ac coagulati reſolutionem et reſorptionem efficere poſſumus et quare vaſa reſorbentia hanc lactis partem in loco quodam alieno depoſitam non aeque reſorbere poſſunt, ac ſi materies haec ſerum eſſet extrauaſatum et inſpiſſatum? Quare opus eſt, vt medicamenta vim quandam ſpecifice in lac agentem poſſideant? Quare etiam iſte humor lacteus extrauaſatus propter generalem illam humorum et ſanguinis diminutionem vaſorumque depletionem reſorberi non poteſt?

Haec fere ſunt dubia contra hanc metaſtaſeos lactis theoriam prolata; bene quidem ſcio, meas reſponſiones quibusdam dubiis pares non eſſe et ſpero, fore vt lectores aequi et inprimis huius theoriae aduerſarii errores quosdam medicinae tyroni libenter condonent. Nam non tam argumenta aduerſariorum refutare volui, quam potius modo demonſtrare, plura phaenomena hac theoria explicari poſſe, quam ſi aliam ſequeremur

mur theoriam, et vtroque in caſu ſemper adhuc quaeſtiones quasdam nobis ſupereſſe, ad quas hodieque idoneis argumentis reſponderi nequeat. Metaſtaſes vero lactis corrupti atque ex mammis reſorpti in totum negare iniquum puto; nonne enim multis in morbis eiusmodi materiae morbidae translocationes videmus, v. c. materiei arthriticae? nonne interdum pus in loco quodam ſuppurante reſorptum in alio quodam corporis loco longe ab illo remoto deponitur? Et qui hoc fit? quo modo pus, liquidum hoc ſpiſſum, in vaſa iſta tenuia ingredi poteſt?

§ VI.

Diagnoſis.

In metaſtaſium lactearum diagnoſi inprimis ad earum generationem attendendum eſt, tam vt mature prophylactice iis obuiam ire, quam ne cum aliis morbis, ſimilibus ſymptomatibus praeditis eas permutare poſſimus. Ad claſſem morborum iis valde ſimilium praecipue rheumatismus et tumores lymphatici ſunt referendi; commemoratis igitur generalioribus de metaſtaſium decurſu, criteria illa proferam, quae docent, quomodo lactis metaſtaſes a dictis binis morbis diſtingui ac certe cognoſci poſſint. Cum lactis retrogreſſio tam varios producat effectus ad viam quandam ſibi parandam, qua ex corpore eliminari poſſit, vnusquisque facile perſpiciet, diagnoſin horum morborum fientium etiam multifariam ac valde inter ſe diuerſam eſſe. Omnium diagnoſis facillima ſine dubio eo in caſu erit, quando lac ad corporis humani colatoria defertur et vna cum aliis corporis noſtri excrementis excernitur, v. c. cum vrina, per aluum, etc. ſi modo ad mammarum decreſcentiam ha-

habeamus rationem. Difficillima vero eſt diagnoſis, quando lac verſus partem quandam corporis internam migrat et congeſtiones vel depoſitiones in eadem cauſat, hoc enim in caſu varios ſimulare poteſt morbos. Verumetiam ſemper adhuc ſatis difficile eſt, quando lac verſus partem quandam externam ruit, perſpicere, an lac retrogreſſum horum ſymptomatum praeſentium cauſa ſit, nec ne.

Quod ad ſpeciem primam, vbi lac e colatoriis corporis humani excernitur, attinet, nihil hic de eius diagnoſi apponam cum facillimo negotio, oculis quippe cognoſci poſſit; attamen moneo, attendendum eſſe, an etiam natura praeter hanc lactis excretionem, metaſtaſin adhuc quandam aliam formare velit, quae inprimis tunc eſt metuenda, ſi haec excretio lactea vel nimis parca, nec ſufficiens eſt, vel ſupprimitur.

Nunc de metaſtaſi ad internas partes quaedam ſunt adferenda et quidem de praecipuis ſingulatim. Varios animaduertimus prodromos ex quibus concludere licet, puerperae apoplexiam imminere. Vrina et excretio aluina plane ſunt naturales; lochia vero plerumque mucoſa ac parca, pulſus vndulans et celer, cutis ſicca, minime vero ardens. Mox faciles quaedam animi ſequuntur perturbationes, horripilationes, anxietates, deliria, oculi feroces ac quaſi flagrantes aut fixi et immobiles, inconſueta linguae haeſitantia, ſubitaneus capitis dolor topicus. Haec excipiunt plerumque tinnitus aurium, lethargus, ſtertor, oris contorſio, riſus ſardonius, ſubſultus tendinum, conuulſiones vehementes ac denique mors. In nonnullis vero feminis, inprimis vbi lac mammas nondum intrauit, maxima horum ſymptomatum pars abeſt et leue modo de-

 lirium

lirium apparet, quod vero ſubito vehementiſſima ſequitur inſania. Coecitas ac ſurditas in puerperis interdum ex capitis dolorum vehementia ac continuatione oriuntur, teſte PVZOS *t*). Pleuritidem et peripneumoniam ſignificant vehementes anxietates, reſpiratio difficilis, dolor punctorius in hac regione, febris vehemens et continuo ſaeuiens, cum horrore incipiens, interdum adſunt ſputa pituitoſa, immo cruenta; omnia vero haec ſymptomata celerrime ſeſe ſequuntur et mammae hoc tempore decreſcunt, vel nullum in ſe continent lac, vrina in initio eſt clara, mox vero euadit rubra. Si lac intra abdomen deponitur, praecedunt horripilationes, motus febriles, dolores obtuſi vagi, ſenſim ſeſe figentes, tenſionis ſenſum excitantes, appetitus proſtratus, nauſea, immo vomendi niſus, ex- excretiones ſupprimuntur tam aluinae quam vrinae. Febris eſt vel continua vel intermittens, pulſus paruus ac concentratus *u*), virium proſtratio praeſto eſt et denique abdominis oritur eleuatio. Si metaſtaſis in peluim fit, puerpera ſentit dolorem quendam clandeſtinum, pondus in pelui, femorum debilitatem, tactu tumorem percipimus in cauitate oſſis ilei et ſi aegrota in dorſo decumbit, maiorem ſentit dolorem femoribus extenſis quam flexis ob preſſionem huius tumoris in muſculum iliacum, eius tendinem et in muſculi Pſoas tendinem. Symptomata metaſtaſeos lactis ad ligamenta vteri lata annuntiant vehementes in regionibus iliacis dolores et externe tactu eminentia quaedam ſubdura percipitur. Fere ſemper febris adeſt. Ex his igitur allatis intelligere poſſumus, diagnoſin harum metaſtaſium ad partes corporis internas valde difficilem eſſe; attamen vero ſimulac ſequentia apparent ſymptomata, omni iure eiusmodi me-

t) l. c. p. 234.
u) ROUX Journal de Med. T. XXXIV. pag. 555. ſeq.

metastasis est metuenda; nimirum quando post partum nullum effluxit lac sine alia quadam causa manifesta, dolor quidam perpetuus in hac vel illa corporis parte oritur, qui functiones eius laedit et inprimis adhuc si pars glandulosa est. Monendum vero est, non ex solo partis cuiusdam dolore inprimis in abdomine diagnosin metastaseos fientis esse deducendam; hic enim a multis aliis causis in puerperis generari potest.

Nunc adhuc metastasium lactis ad partes exteriores factarum diagnosin eruamus, necesse est. Ante omnia metastases facile in partes migrant glandulosas, easque afficiunt. Eodem modo dignoscuntur ac si metastasis in telam cellulosam esset facta, primo ex causis praecedentibus, deinde ex his, quae sequuntur symptomatibus: horripilationes irregulares ac dolor antecedunt, pars ista efflatur et dura fit, febris oritur in proportione cum labore ac tensione vehemens, cutis aliquantum mutatur. Nascente nunc metastasi plurima symptomata cessant, mox vero reuertuntur et quidem maiori cum vehementia. Dolor in parte affecta quasi premens euadit, sensim augetur, tumor eleuatur et crescit, febris fit vehemens, pulsus est durus, celer, plenus, tensus. Simulac vero metastasis plane iamiam est facta, pulsus fit paruus, vrina in initio clara euadit turbida. Ex his igitur signis ad metastases lactis factas concludere licet, praesertim si lactis ex mammis effluxus, vel eius secessus impeditus, vel lac retropulsum sit. Adde, has lactis metastases saepissime mammas et inguina cum femoribus afficere, in quibus postremo nominatis supra eorum initium incipit sensimque versus partes inferiores progreditur. De his etiam metastasibus externis generalia quaedam afferere possumus et quidem: tumores ab hac causa ortos speciem oedematis

ha-

habere, raro vero cum inflammatione coniunctos esse. De tempore metastasium tam internarum quam externarum supra iamiam loquuti sumus. Ratione exanthematum a lacte oberrante ortum ducentium auctores inter se dissentire et nimis subtiliter de iis differere videntur, vt prolixum foret, omnia singulaque hic enarrare, quae in his exanthematibus proposuerunt; sententiam igitur solam PVZOSII afferre volo, qui hanc cutaneam eruptionem a lacte oberrante generari affirmauit et quidem eam post febrem lacteam quarto vel quinto post partum die oriri et pustulis albis, transparentibus ac paruis, magnitudinem capitis aciculae non superantibus distingui monuit. Occupant autem quasdam corporis partes, vt pectus, abdomen, collum et digitos haec exanthemata, et vel simplicia ac minime periculosa, vel cum malignitate coniuncta et tunc maxime periculosa sunt, iuxta sententiam modo nominati auctoris.

Restant adhuc symptomata illa, quorum ope eiusmodi metastases a morbis ipsis simillimis distinguere easque igitur dignoscere possumus. Primo igitur differentias, quae metastases lacteas inter et rheumatismum intercedunt, narrabo, quae fere sequentes sunt: metastases plerumque post partum, vbi lac rite non effluxit, generantur, cum rheumatismus sub aliis plane ab his diuersis conditionibus excitetur. In lactis metastasibus nulla adest phlegmone seu inflammatio, vel raro modo ac in leuiori gradu; rheumatismus vero semper cum inflammatione et quidem graui est coniunctus. Denique tumor iste lacteus multo minores dolores creat, quam pars rheumatismo affecta. Tumores lactei oedematosi sequentibus momentis a seroso lymphaticis sese distinguunt. Posteriores primo in partibus inferioribus generantur, v. c. in pedibus et tunc versus

supe-

ſuperiores, ſuras, femora et inguina tumor progreditur; priores vero initium ſuum intra peluim capiunt et tunc tumor primo in inguine et femore apparet, ſenſimque verſus partes inferiores deſcendit, quae omnia etiam ſymptomatibus praeſentibus tam in initio quam in morbi decurſu confirmantur. Vaſorum cruralium funis fit dolorificus et tactu interdum eum ſecundum totam ſuam longitudinem tumoribus oblongis obſeſſum animaduertimus, femoris tenſio euadit ſumme dolorifica plerumque ſine calore, rubore ac tumore. Porro iſti tumores lactei cutanei magis ſunt obſcuri, opaci, in minori temporis ſpatio formantur, praecipue dum generantur dolet, et etiam ſunt duriores et digito prementi magis reſiſtunt, quam illi lymphatici. Denique adhuc ratio, qua vterque tumor diſparet, differt, primo enim inguen, femur et tunc partes inferiores decreſcunt. Ex cauſis etiam dignoſci poſſunt; tumores lactei enim vt plurimum poſt refrigerium quoddam oriuntur.

§. VII.

Prognoſis.

Lactis metaſtaſes raro ſunt periculoſae, quia lympha haec lactea raro in ſuppurationem, vel gangraenam tranſit. Quo melior aegrotae corporis conſtitutio, eo minus periculi ex metaſtaſi eſt metuendum. Ratione exitus metaſtaſes valde inter ſe differunt; reſolutio et lactis ad mammas regreſſus ſine dubio optimus eſt euentus; inter meliores euentus referenda eſt illa lactis excretio critica per corporis colatoria. Metaſtaſes inflammatoriae indolis periculoſiores quam oedematoſae ſunt; periculoſiſſima vero ſpecies illa eſt, quae in ſuppurationem tranſit. Lac ſi in ſuppurationem abit, excitat vlcera ſa-

niosa maligna, quae difficulter purificari et raro consolidari possunt. Interdum metastases citissime in gangraenam abeunt. Quo nobilior et quo magis ad vitam necessaria pars metastasibus his affecta est, eo periculosior, ac etiam hac de causa metastases internae maius adferunt periculum quam externae. Si neque vlla lactis excretio, neque depositio sequatur, febris quaedam nascitur continua, quae in febrem lentam hecticam cum tussi parua, sicca ac multo maiori siccitate quam alias, transit. Complicationes metastaseos aliis cum morbis ipsam reddunt periculosiorem. Quo breuiori post partum tempore metastases contingunt, eo magis periculosi sunt morbi ex lacte in sanguine retento orti: primis igitur puerperii diebus, rarissime post quartum vel quintum diem febris lactea maligna oritur. Vsitatissimae viae, per quas lac excernitur, sunt vterus, aluus et vrinae viae. Excretio per vterum saepe relinquit fluorem album; huius etiam excretionis sequela, paralysis vteri est, quae mulieres voluptatis expertes nec non ad generationem ineptas reddit. Excretio lactis per vrinam minimam affert debilitatem, minimum etiam periculum. Cura metastasium internarum multo difficilior est et longius saepe requirunt tempus, vt resoluantur, topica enim medicamenta hic applicari non possunt. Cura metastasium ad glandulas difficilior et longior est quam ad telam cellulosam obstructionis ac suppurationis causa. Raro vna glandula solum est obstructa, sed plerumque plures. Interdum metastasis noua accedente grauiditate soluitur. Multo frequentiores occurrunt lactis metastases in vrbibus, quam in villis et inter mulieres, quae in ciuitatibus degunt, plures ex diuitibus, quam e pauperibus lactis metastasibus corripiuntur. Metastases serotinae mali ominis sunt, plerumque enim excitant abscessus, qui materiam saniosam et

nun-

nunquam fere bonum pus, ſed valde diuerſo modo coloratum continent ex cuius reſorptione febris lenta hectica et putrida generatur. Omnia exanthemata lactea ſaepe diu durant, niſi iis primis in initiis occurramus. Interdum malum hoc dormire videtur et poſt aliquot hebdomades haec exanthemata (huc etiam refero furunculos, herpetes, ſcabiem aliaque, quae ab auctoribus quibusdam lacti oberranti tanquam effectus adſcribuntur) nouo cum impetu et ſub noua forma iterum apparent.

Apoplexia raro tollitur, neque in iis, quae dolorem quendam in capite quaſi ab ictu vehementi ſuſtulerunt, neque in iis, vbi lac mammas nondum intrauit. Hae enim fere ſemper citiſſime moriuntur, quoniam vaſa quaedam in cerebro rupta ſunt, vel quoniam lac in cerebri ſubſtantiam extrauaſatum eſt, vt in cadauerum diſſectionibus auctores ſaepe obſeruarunt. Boni omnis eſt, ſi vrina ſit turbida. Curatio lactis metaſtaſium ad caput veteribus impoſſibilis viſa eſt. Apoplexia ſuperata paucae modo feminae paralyſi afficiuntur. In plurimis ſequitur febris putrida et fere in omnibus materies morboſa denique ſeſe in parte quadam corporis figit ac ibidem tumores vel vlcera format critica.

Pleuritidi ac peripneumoniae puerperae non lactantes, vel lac repellentes multo magis ſunt ſubiectae quam aliae. Mulier boni corporis habitus ac temperamenti raro hoc morbo afficitur, plerumque vitium quoddam mammarum eum inferunt. Si ſputa ſanguine ſunt mixta multo periculoſior eſt morbus, cum quibus ſemper faciei rubor coniunctus eſt. Hoc in caſu inflammatio breui tempore in gangraenam et mortem tranſit; in altero vero caſu, vbi ſputa non ſunt colorata, ſequitur pulmonum ſuppuratio ac phthiſis.

Quod ad metaſtaſes intra abdomen peluimque attinet, raro ſtatim in vtroque peluis latere adſunt, plerumque enim ex vno in alterum transeunt et aliquando denuo in priori apparent. Metaſtaſes ad vterum raro eueniunt et facile cum iis ad veſicam vrinariam factis permutantur. Quando metaſtaſis in ligamentis vteri latis vlcus excitat, minus fauſta eſt prognoſis, quia in iſtis feminis, ſi etiam conualeſcant, plerumque fiſtula remanet.

Metaſtaſes lactis ad partes externas ſunt crebriores, quam ad internas, minus etiam periculoſae. Omnes quoque partes ab iis affici poſſunt. Eo periculoſiores eſſe ſolent, quo propiores magnis corporis cauitatibus ſunt. In tela celluloſa facile fiſtulas excitant.

§. VIII.

Methodus medendi.

Haec medendi methodus omni iure in duas diuidenda eſt ſectiones, in prophylacticam et therapeuticam. Ad priorem omnia illa praeſidia a puerperis adhibenda refero, vt nulla ex lacte mala efficiantur, quae inprimis tempore influxus lactis in mammas et tempore ablactationis grauidas puerperasque affligunt. Lac enim non ſolum ex reſorptione noxas affert, ſed etiam tunc, quando non rite ſecernitur et in maſſa ſanguinea remanet. Locus hic non eſt, puerperarum diaetam ac regimen prolixe exponere, quibus ſe adſtringere debent, ad vitioſas lactis qualitates praecauendas vel mutandas; ſed hic modo paucis ſecretionis et excretionis lactis obſtacula

ex-

examinare et medicamenta, ad obſtacula iſta remouenda afferre volo. Puerperae lactantes illis periculis rarius quidem ſunt expoſitae, ſed non nutrientes ſaepius. In curatione igitur ad id maxime erit attendendum, ne ſe-et excretio lactis impediatur ſed potius vt promoueatur. Cum vero variae adeſſe poſſint cauſae, quibus puerpera coacta infanti vbera negare debet, neceſſe eſt, noſſe, quaenam ſit recta ac optima methodus lactis ſecretionem impediendi, ne puerpera detrimenta alia hac ex cauſa metuere debeat. Eodem in ſtatu omnes verſantur mulieres lactantes tempore ablactationis, quando nempe per ſufficiens temporis ſpatium puſioni vbera praebuerunt. Nonnullae etiam matres infantibus ſuis neonatis vbera praebere non debent, v. c. quarum mammae non ſatis amplae ſed nimis paruae ſunt, quae nimis paruam lactis copiam parant, matres valde iuueniles, morboſae, mollioris, macidae ac tabidae corporis conſtitutionis, etc.; in his lactis ſe- et excretio maiori ſecuritate ac facultate impediri poteſt, quoniam corpus hoc alimento carere non poteſt, ſed potius neceſſe eſt, vt in eo retineatur ad eius conſtitutionem emendandam. De his igitur hic non loquor, ſed potius de iſto ſtatu, vbi puerpera bona ac perfecta corporis conſtitutione fruitur et ex aliis modo cauſis, e. g. ex nimio otii deſiderio, infantem lactare recuſat, vt ſaepiſſime tamen euenit, quamuis noxae inde imminentes ſatis notae ſint. Plerumque ad lactis ſe- et excretionem minuendam adhibentur V. S^es^, medicamenta laxantia, diaphoretica, aliaque, nulla habita ratione aegrotae corporis conſtitutionis, et, vti manifeſtum eſt, medicamenta iſta feminae debilioris ac tenerrimae conſtitutionis exhibita neceſſario multas afferunt noxas. Sic etiam tenuiſſima illa diaeta eiusmodi puerperis minime eſt ſuadenda. Facile igitur inde perſpicitur, non ſemper

vnam eandemque methodum adhiberi posse, nec illum in finem nos eniti debere, vt lactis se- et excretionem plane ac semel, sed potius sensim sensimque impediamus. Prius vero praecipiendum est, vt puerperae statim post partum vestimenta induant angusta vel arctiora ad lactis in mammas influxum difficiliorem immo impossibilem reddendum. Quantus autem error est, si mulieres credant, hoc auxilio omnes praecaueri noxas, non enim perpendunt, multa atque grauissima mala ex lactis in massa sanguinea retentione oriri. Suadendum igitur simul est, vt mammae leui quodam integumento obtegantur, quo efficitur, vt liberior aëris ad mammas accessus impediatur et quidem subitanei frigoris. Omnia vero alia lactis e mammis effluxus impedimenta diligenter ac omni cura sunt remouenda; in puerperis enim secundum legem naturae ordinariam lac sponte e mammis effluit, nisi impedimenta adsint, vel aegrota sit primipara, qui fluxus igitur sedulo seruandus et si non adsit, fomentationibus emollientibus promouendus ac prouocandus est. Post superatam febrem lacteam folia alni recenter contusa et calefacta, vel chaerophylli ac petroselini semina ana mane ac vesperi mammis sunt imponenda, de quibus notum est, lactis effluxum promouere; si vero his medicamentis lactis effluxus non producatur intra viginti quatuor horas, tunc furfures triticeos in aqua coque, in massam hanc spongiam intinge et saepe spongia ista mammas calide ab earum peripheria versus papillam perstringe et deinde iterum chaeroph. ac petrosel. semina iis impone. Si etiam haec paria non sint effluuio lactis efficiendo, instrumenta denique hunc in finem applicari debent, ex quibus varia nobis sunt nota, optimum vero illud ex resina elastica factum et cum vitro coniunctum mihi videtur. Cum igitur hoc modo effluuium sit excitatum, cauere debemus, ne

iterum impediatur; mammae igitur non arcte ſunt conſtringendae, ſed potius applicatione medicamentorum lactiferorum effluxus ſemper eſt ſuſtentandus, quam ob cauſam mammae etiam in modico calore ſeruari debent. Interdum tempore nocturno nil ex mammis effluxit et mane tumor quidam in iis animaduertitur, qui etiam ſpongia calide perſtringendus eſt, quo facto molleſcit et lactis effluuium iterum reſtituitur, niſi ſuctio vel inſtrumenta applicari poſſunt, quae medicamenta etiam ad inflammationem mammarum totalem tollendam adhiberi debent. Minime vero ſemper hunc optabilem euentum obtinere poſſumus, ſed tumor hicce inflammatione plerumque in ſuppurationem abiente corripitur, et in caſu ſuppurationis inprimis cauendum eſt, ne tumor hic nimis cito, nec prius quam perfecte molluit ac in toto ſuo ambitu animaduertitur fluctuatio, aperiatur. Tumore aperto ſine dubio pus malae indolis effluet, hoc phaenomenon vero terribile non eſt, cum non ignoremus, pus in mammis generatum nunquam bonae indolis, ſed ſanioſum eſſe. Ratione inciſionis cura eſt adhibenda, ne propius ad papillam inſtituatur; haec enim cicatriſatione retrahitur ac ſaepe tantum, vt femina inpoſterum ſuctionem ferre non poſſit. Eiusmodi vlcus difficile curari poteſt, tam ob continuationem effluxus cuiusdam lactei, quam interdum ob cauſam quandam corporis internam, v. c. cacochymiam; prius vero ſymptoma applicatione emplaſtri cum Camphora tollitur, et poſterius ſingularia poſtulat medicamenta idonea, v. c. cacochymia Corticis peruuiani vſum. Alter vero eiusmodi tumoris euentus eſt induratio, quae falſo a quibusdam ſcirrhus nominatur, et tumor eiusmodi induratus ſolum ſecundario fit cancroſus. Interdum induratio haec medicamentorum vſu tolli poteſt, ſaepe euaneſcit tempore primi fluxus menſtrui poſt partum vel tem-

pore

pore ſuperuenientis nouae grauiditatis. Varia exſtant medicamenta praeter exſtirpationem ad tumores eiusmodi tollendos, quae vero omnia hic recitare non poſſumus etiamque ex ſcriptis LEVRET, BIERKEN, LENTIN, STOERCK, aliisque ſatis nota ſunt.

Quod ad medicamenta interna attinet, quae tempore ablactationis vel ſcopo lactis diminutionis adhibenda ſunt, facile perſpicitur, non vna eademque omnibus in feminis adhiberi poſſe, ſed ſemper ad aegrotae corporis habitum reſpiciendum eſſe. Sic e. g. in feminis debilioribus ac magis irritabilibus ad ſordes eliminandas Clysmata medicamentis purgantibus in primis puerperii diebus ſunt anteponenda; haec enim lactis ſecretionem in mammis impediunt et fortaſſis propter irritationem inteſtinorum lactis depoſitionem verſus haec determinant, vel lac ſaltim in ſanguine retinent, et igitur aegrotam nullo modo a periculis ex lacte liberant. Idem etiam de V. S^bus^ ac diaeta valet; et medici iudicium ſingulo in caſu facile medicamenta inueniet idonea, ſi modo noxas non ignoret, quae ex lacte vel in ſanguine retento vel non rite ad mammas delato naſcuntur. Vnum adhuc monendum eſſe mihi videtur, medicus nempe vt caueat, ne mulieri ablactanti nimis cito iamiam durante lactis effluuio, Corticem peruuianum exhibeat, ex eius vſu enim lac denuo generatur.

Nunc ad curam lactis metaſtaſium therapeuticam me conuerto. Semper hic cauſarum habenda eſt ratio ac ſecundum harum diuerſitatem varia etiam medicamenta ſunt adhibenda, quae vero ſemper eo dirigi debent, vt impedimenta lactis in mammas depoſitionis tollant eiusque effluxum promoueant;

his

his enim noxas optime poſſumus arcere. Quid vero agendum ſit, ſi medicus ſero ad puerperam vocetur, vbi medicamenta illa neceſſaria non ſint adhibita et nunc metaſtaſis lactea in parte corporis quadam vel metuenda ſit, vel iamiam facta, nunc exponamus. Omnes mulieres in ſtatu grauiditatis ac puerperii magis ſunt ſenſibiles earumque nerui facillime irritari poſſunt, vnde tunc ſpaſmi variae indolis producuntur. Inde patet, puerperis nulla medicamenta fortiora eſſe adhibenda. Quando lac ſanguini adhuc mixtum eſt, multi medicamentorum antacidorum et abſorbentium vſum ſuadent, vna cum diluentibus et leniter purgantibus; ego vero perſuaſus ſum, nullo amplius medicamento opus eſſe, ſi modo omni ope adnitamur, vt lac rite intrare poſſit. Si lac iamiam per excretionem quandam e corpore eliminatur, v. c. vomitum, diarrhoeam, etc. hae excretiones minime ſunt turbandae vel ſupprimendae, attamen vero ſimul medicamenta poſſunt adhiberi, ad lactis depoſitionem verſus mammas reuocandam.

Apoplexia lactea olim inſanabilis credebatur, et adhuc PVZOS opinioni fauet, plerumque tempus plurium menſium opus eſſe, ad lactis congeſtiones verſus cerebrum eiusque ſequelas arcendas. Verumetiam PVZOS ſecundum meam ſententiam iſtas multo citius curaſſet, ſi modo magis intrepide morbum hunc aggreſſus eſſet. LEVRET iamiam ſuadet, vt V.Ses largae ac citiſſime ſeſe ſequentes inſtituantur; quibus praemiſſis interdum tartari emetici vſus auxilium afferret. DELEURYE putat, V. Ses, vomitoria ac ſpiritus volatiles externe naribus admouendos, eſſe inutiles; ſi autem ſpes non omnis ſit praeciſa, ſuadet, vt ſtatim duo veſicatoria in binis diuerſis locis applicentur, ſuctio mammarum inſtituatur, clysmata cum vino antimoniato ingerantur, et purgantia cum tartaro emetico exhibeantur. Clysmata omni trihorio ſunt repetenda, hi-

 rudines

rudines applicandae, et capitis frictiones cum oleo seu spiritu quodam volatili sunt instituendae. Nonne omni iure hoc in morbo saepe tam subito mortifero V. S^{es} in arteria temporali instituì et fomentationes frigidae a Celeb. SCHMVCKERO commendatae adhiberi possent? omnia enim in eo mihi consistere videntur, vt sanguis citissime hoc ex nobili viscere detrahatur; si vero magnum iamiam adest extrauasatum in cerebro, omnia sine dubio remedia adhibita sunt vana. Emetica, num durante apoplexiae insultu conducant, fere dubito; maioris autem momenti in paralysi ex apoplexia remanente esse mihi videntur, quod etiam experientia b. PETIT confirmatum est; attamen vero praeter haec fonticulus ille in processu mastoideo, a Cel. BROMFIELD in paralysibus ex extrauasatione remanentibus valde laudatus institui potest; magis vero hoc in casu emeticis confido.

In pleuritide lactea summae indicationes sequentes sunt: prima, inflammatio remouenda est, altera, lac ad mammas reuocandum est. Priori V. S^{es} largae et repetitae, posteriori autem cataplasmata emollientia, suctio, cucurbitulae siccae mammis applicandae satisfaciunt. Eodem vero tempore simul cura eo est dirigenda, vt lac iamiam resorptum et in pulmones delatum citissime per viam quandam excretoriam e corpore eiiciamus, quod tutissime et saepissime per aluum forma diarrhoeae effici solet, quae purgantibus lenioribus, clysmatibus ac potu conueniente excitatur. LEVRET inprimis monet, ne medicamenta sudorifera intempestiue in morbi initio adhibeamus; versus finem vero morbi salutaria esse affirmat et inprimis kermes minerale paruis dosibus exhibitum prae omnibus aliis laudat. In genere in omnibus ex lacte noxis vsum arcani duplicati vehementer commendat. Omnes reliquae metastases lacteae versus partes corporis internas eodem curantur modo, superfluum igitur esset, si omnes adhuc seorsim expendere vellem; veruntamen vnum remedium ad metastases internas auertendas adhuc nominandum est et quidem: simulac prodromi quidam metastaseos versus partem quandam internam fientis animaduertuntur, irrita-

tiones

tiones externae ſunt adhibendae, vt lactis et humorum affluxus ab illo loco interno auertatur et potius verſus hunc externum dirigatur; quem igitur in finem frictiones inſtitui et ſinapismi ac veſicatoria applicari debent. Ill. TISSOT ſaepe etiam balnea tepida maximos afferre fructus, ſi omnia alia remedia fruſtra iamiam eſſent adhibita affirmat *v*). In genere de harum metaſtaſium internarum cura etiam hoc valet, quod medicamenta et auxilia citiſſime et intrepide adhiberi debeant, ſi euentum illum optabilem obtinere velimus.

Ad metaſtaſium externarum curationem nunc transeo, in qua maxime ſemper eſt attendendum, vt optimus efficiatur euentus, reſolutio; in initio igitur medicamenta reſoluentia, diſcutientia et antiphlogiſtica ſunt adhibenda. V. Ses aegrotae viribus accommodatae, largae ac repetitae reſorptioni maxime inſeruiunt, ſic etiam laxantia leniora, diaeta tenuis, clysmata, aliaque ſimilia ei fauent etiamque medicamenta topica reſoluentia et repellentia applicare licet. Sic LEVRET tempore hiemali vſum cataplasmatis Norimbergenſis recenter praeparati commendat; tempore vero aeſtatis tanquam medicamentum maxime reſoluens embrochen ex aqua pluuiali deſtillata, in cuius vnaquaque Pinta Sal. tartari fixi ʒij-℥ß diſſolutae ſunt, praefert. Nonne haec ſuſpicionem iure mouent, eodem cum bono ſucceſſu fumigationes Anglorum volatiles, inprimis humidas adbiberi poſſe, quarum vis reſoluens valde eminet? Celeb. SCHMVCKER ſpiritum quendam diſcutientem ex ſpiritu vini, Sale ammoniaco, ſapone venet. et Camphora compoſitum applicauit ac deinde ſecundum methodum Celeb. THEDEN extremitatem a digitis inde faſciis inuoluit. Interdum etiam ad eiusmodi tumoris reſolutionem, ſi nempe glandulae hac materia obſtructae ſenſim in indurationem tranſire videntur, medicamentis vti debemus mercurialibus, vti obſeruationibus Cel. LENTIN *w*) edocti ſumus, hiſtoriam enim narrat, vbi ad tumores lacteos diſpergendos optimo cum ſucceſſu vnguentum neapolitanum cum albo mixtum adhibuerat. Leniores etiam frictiones partis affectae reſolutioni fauent. ASTRVC ſuadet *x*), vt Emplaſtrum de ranis cum mercurio Vigonis cum Emplaſtro de mu-

v) l. c. §. 125. *w*) l. c. p. 101. *x*) l. c. p. 220.

mucilaginibus bene malaxatum tumori applicemus; ſimul vero interne medicamenta ferrea et mercurialia, non vero purgantia ad lac in ſanguine retentum diluendum adhibeamus et niſi menſtrua rite fluant, ipſa medicamenta emmenagoga, quo per hanc quoque viam lac e corpore eliminetur. Quis denique non videt, etiam in his metaſtaſibus externis, omnia in vſum vocanda eſſe medicamenta, quae lactis ad mammas reuocationem eiusque ex ipſis effluxum efficiunt, vt ſuctiones crebriores, fomentationes, balnea vaporoſa, etc.? Simulac ſigna ſuppurationis animaduertimus, externe ſtatim medicamenta ſuppurationem promouentia applicare debemus, quae vero hoc in caſu, quia tumor eiusmodi frigidae eſt naturae, non ſola emollientia, ſed ſimul calefacientia eſſe debent, v. c. Sapo venet. Gummi ammoniac. Allium, Crocus, vel etiam Empl. diachylon compoſitum, ſeu Empl. de Galbano crocatum, etc. Quando abſceſſus hic nunc eſt maturus, iuſto tempore ac loco aperiri debet, vt materies in eo contenta effluere poſſit, quo facto abſceſſus apertus iniectionibus purificatur et conſolidatur. Curatio exanthematum a lacte in ſanguinem retrogreſſo et nunc verſus cutem delato productorum adhuc ſupereſt. Interdum regimen nimis calidum exanthemata haec ſic dicta miliaria producere poſſe affirmat PVZOS *y*), qui nil aliud exhibuit, quam potum copioſum theiformem, leniter ſudoriferum et Clysmata ad aluum apertam ſeruandam; praeterea diaetam adſtrictam aegrotis praeſcripſit, ac vbi puſtulae ſeu veſiculae in cute natae et materia quadam repletae magnitudinem quandam acceperant, eas aperuit, ad metaſtaſin huius materiei ad partes internas praecauendam. LEVRET vſum laxantium leniorum v. c. Arcani duplicati commendauit, deinde etiam purgantia fortiora atque vſum aquarum ſoteriarum. Exanthemata iſta per deſquamationem ſeſe finiunt, quam ob cauſam aegrotarum cutis morbo hoc ſuperato mollior et magis alba reddita eſt.

Haec ſunt, *Beneuole Lector*, quae tibi de hac materia proferre potui; facile tyroni in arte medica condonabis, ſi non ſatis accurate, ſolide et fuſe materiam hancce valde intricatam pertractauit.

y) l. c. p. 378.

